AN. LXXXVI SERIES VII FASC. II. AN. 1961

MONITOR ECCLESIASTICUS

Fundatus a. 1876 ab E.mo Card. Casimiro GENNARI
peculiari S. Sedis adprobatione continuatur

PRAESIDENTE
E.mo Card. **Arcadio Larraona**

MODERANTE
FLORENTIO ROMITA, a Studiis S. C. Concilii

ADIUVANTIBUS

ANTONELLI F., O. F. M., Promotor. Fidei S. C. Rituum — BARTOCCETTI V., Secretario Supremi Tribunalis Signaturae Apostolicae — BENDER L., O. P., in Pont. Athenaeo *Angelicum* Professore Juris Canonici — BIDAGOR R., S. J., Cons. S. C. De Disciplina Sacramentorum — CAPPELLO F. M., S. J., Cons. S. C. Concilii — CASTELLANO M., Arp.o Colossen. — DE ANGELIS S., Secret. S. Paenitentiariae Apostolicae — GUTIERREZ A., A Studiis S. C. De Religiosis — HERMAN Ae. S. J., Cons. S. C. Pro Ecclesia Orientali — LENTI PROF. J., Adv. S. Romanae Rotae — OESTERLE G., O. S. B., Cons. S. C. Pro Ecclesia Orientali — PAVENTI X., A Studiis S. C. De Propaganda Fide — ROMANI S., Pro-Datario — ROMEO A., A Studiis S. C. De Semin. et Univers. Stud. — ZERBA C., Secr. S. C. De Disciplina Sacramentorum

Aliisque S. Romanae Curiae Officialibus, Consultoribus et Advocatis.

DESCLÉE & C[i] — EDITORES PONTIFICII
ROMAE (117) PIAZZA GRAZIOLI N. 4 — TEL. 674.395 — C. C. P. 1-4270
OFFICIUM REDACTIONIS ET ADMINISTRATIONIS - PIAZZA GRAZIOLI N. 4. TEL. 673.931

Periodico Trimestrale - Sped. in Abb. Post. - Gruppo IV

IMPRIMATUR

Sorae, 15 - VI - 1961.

† Blasius Musto
Episcopus Aquini, Sorae et Pontiscurvi

OMNIA IURA PROPRIETATIS VINDICABUNTUR

Tip. Edit. M. Pisani - Isola del Liri - 1961

SUMMARIUM

ADNOTATIONES IN ACTA S. SEDIS

Sacra Congregatio Concilii:

PAG.

I. Decretum de constitutione officii Cappellani Generalis Vicariatus Castrensis. (Adn. PUGLIESE, A.) 191

II. Decretum. Facultas audiendi confessiones pro militum Cappellanis extenditur. (Adn. PUGLIESE, A). 195

IURISPRUDENTIA S. ROMANAE ROTAE

Coram R. P. D. Petro Mattioli, Ponente. Nullitatis matrimonii. (*Ex metu reverentiali*). Sententia definitiva diei 14 novembris 1957. 203

Coram R. P. D. Petro Mattioli, Ponente. Nullitatis matrimonii (*Ex metu*). Sententia definitiva diei 4 dec. 1957. 217

STUDIA ET CONSULTATIONES

OESTERLE, D. G. De conditionibus in re matrimoniali . . . 233

CRNICA, A. De canonizatione aequipollenti. 258

SZENTIRMAI, A. De «jure supremi patronatus» Regum Ungariae. 281

BENDER, L. Matrimonii convalidatio et haeresis abiuratio. . . 292

RECENSIONES

CHANSON, A. *Per meglio confessare*. (PARISELLA, I.) . . . 301

RAVASI, L. R. *De regulis et Constitutionibus Religiosorum*. (PUGLIESE, A.) 301

DOCUMENTA

PAG.

Istruzioni della S. Congregazione de Seminariis circa la collaborazione dell'Azione Cattolica all'opera delle vocazioni ecclesiastiche. 303

« Il senso morale »: Lettera pastorale all'Archidiocesi ambrosiana di S. Em. il Card. Montini per la Quaresima dell'anno 1961. 312

CHRONICA

Acta Joannis PP. XXIII. 343

Acta SS. Congregationum. 351

Index Bibliographicus.

ADNOTATIONES
IN
ACTA SANCTÆ SEDIS

Digitized by the Internet Archive
in 2024

https://archive.org/details/monitor-ecclesiasticus_1961_73_2

SACRA CONGR. CONSISTORIALIS

I

DECRETUM

De constitutione officii Cappellani Generalis Vicariatus Castrensis.

Vicariatus Castrensis Dicionis Canadensis, decreto Consistoriali « Materna Ecclesiae pietas » diei 17 Februarii 1951 erectus, Vicario Castrensi, Cappellano maiore, tribus Cappellanis delegatis pro copiis respective terrestribus, maritimis et aëreis, ceteris militum Cappellanis atqué subditis laicis et religiosis constitutus fuit.

Cum autem Exc.mus P. D. Mauritius Roy, Archiepiscopus Quebecensis et Vicarius Castrensis Canadensis, variis recentis aevi vicissitudinibus inductus, enixe postulavisset ut novum apud Vicariatum Castrensem institueretur officium, Cappellani, scilicet, generalis, SS.mus Dominus Noster Ioannes Divina Providentia PP. XXIII, ratus huiusmodi munus animarum saluti profuturum, porrectis precibus benigne annuere dignatus est.

Quapropter, suppleto, quatenus opus sit, eorum interesse habentium vel habere praesumentium consensu, praesenti Consistoriali decreto, perinde valituro ac si Apostolicae sub plumbo Litterae datae fuissent, in Vicariatu Castrensi Canadensi munus *Cappellani generalis* vulgo « Aûmonier général » instituit ac erigit, quod medium erit Cappellanum maiorem inter et Cappellanos delegatos.

Cappellanus generalis institutionem canonicam atque necessarias facultates a Vicario Castrensi delegatas obtinebit.

Ad haec exsecutioni mandanda eadem Sanctitas Sua deputare dignata est Exc.mum P. D. Sebastianum Baggio, Archiepiscopum titularem Ephesinum et in Dicione Canadensi Delegatum Apostolicum, necessarias et opportunas ei tribuens facultates, etiam subdelegandi, ad effectum de quo agitur, quemlibet virum in ecclesiastica dignitate constitutum, onere impo-

sito ad hanc Sacram Congregationem Consistorialem remittendi authenticum exemplar actus peractae exsecutionis.

Datum Romae, ex Aedibus Sacrae Congregationis Consistorialis, die 8 mensis Octobris anno 1960.

✠ Marcellus Card. Mimmi, Ep. Sabinen. et Mandelen., *a Secretis*

L. ✠ S.

† Iosephus Ferretto, Archiep. Serdicen., *Adsessor.*

(*A.A.S.*, 1961, v. 53, n. 1, p. 48).

ADNOTATIONES

1. - Decreto *Materna Ecclesiae Pietas,* 17 febr. 1951 [1], constitutus atque erectus fuit in Ditione Canadensi Vicariatus Castrensis, cuius sedes in Urbe Octaviensi posita fuit. Qui Vicariatus expresse dicebatur constaturus: Vicario Castrensi, qui actu est Archiepiscopus Quebecen., tribus Cappellanis delegatis et Cappellanis militum. Vicario insuper Castrensi tribuebatur facultas constituendi Cappellanum Maiorem, cuius esset *Vicarii Generalis officium genere et munus.* Ita factum inde est ut Vicarius Castrensis, nempe actu Archiepiscopus Quebecen., apud Curiam Castrensem repraesentaretur a Cappellano Maiore, quem ipse sibi, ex recepta facultate, Vicarium veluti Generalem constituit, a quo proinde tota organizatio castrensis subordinate penderet cum potestate ordinaria vicaria, nomine et auctoritate Vicarii Castrensis exercenda; dum unusquisque Cappellanus delegatus potestate a Vicario Castrensi delegata et, evidenter, sub Cappellano Maiore, frueretur pro copiis terrestribus, maritimis vel aëreis sibi speciatim concreditis.

2. - Praesenti autem Decreto *Vicariatus Castrensis Dicionis Canadensis,* 8 oct. 1960 [2], ad Vicarii Castrensis petitionem, novum munus seu officium constituitur, *Cappellani* scil. *generalis,* vulgo *Aûmonier général,* quod medium erit Cappellanum Maiorem inter

---

[1] *AAS.*, 43 (1951), 477-479; cfr. nostras ad Decretum *Adnotationes* in *Monitor Eccles.*, 1952, 191-196.

[2] *AAS.*, 53 (1961), 48.

et Cappellanos delegatos. Cappellanus proinde generalis non est alter et subordinatus Vicarius Generalis seu Provicarius Vicarii Castrensis, cum eius potestas non ex iure derivatur sed ex commissione Vicarii Castrensis ideoque non est ordinaria sed delegata; est e contra Vicariis Delegatis adsimilandus, quos loco Vicariorum Generalium Ordinarii locorum nonnunquam sibi constituunt per dioeceses cum potestate delegata ad universitatem causarum, licet nonnullos articulos iurisdictionales sibi reservent.

3. - Munus seu officium, quod praesenti Decreto instituitur, est officium ecclesiasticum stricto sensu, quia Apostolica ordinatione stabiliter constitutum, ad normam iuris ecclesiastici militaris conferendum, participationem ecclesiasticae potestatis iurisdictionis secumferens (c. 145 § 1). Stabilitas muneris est obiectiva, non subiectiva; cum semel erectum ens sit seu institutum quoddam iuridicum cum vita propria, independenti ab eo qui munus actu occupat. Munus ipsum ad ius publicum Ecclesiae pertinet eiusque provisio regulis iuris, non arbitrio superioris, regitur [3]. Insuper, auctores [4] admittunt potestatem iurisdictionis, quae in officio ecclesiastico resideat seu eidem in ipsa constitutione adnectatur, posse esse tantum *delegatam*, idque plene, in casu, realizatur. Quae tamen delegata potestas iurisdictionis talis et tanta esse debere videtur ut, saltem pro communioribus articulis, ad universitatem negotiorum extendatur, utque maior largiorque sit quam quae singulis Cappellanis delegatis conceditur. Medius namque est Cappellanus generalis inter Cappellanum Maiorem et Cappellanos delegatos.

4. - Quare verisimiliter Cappellanus generalis nominatur ad nutum a Vicario Castrensi, cuius est eidem canonicam, seu ad normam iuris canonici militaris, institutionem concedere (c. 147 § 2), atque facultates, quae ad suum officium rite explendum necessariae aut utiles opportunaeque, prout casus ferat, considerantur, delegare. Qua ad nutum, Cappellanus generalis, aequitate naturali et canonica servata, potest libere a Vicario Castrensi ab officio removeri, destitui vel ad aliud officium promoveri. In omnibus insuper ecclesiasticae subiacet iurisdictioni Vicarii Castrensis et, subordinate, Cappellani Maioris; sed a propria dioecesi originis non separatur et a proprio originis Ordinario potest revocari, non secus

---

[3] Cfr. Maroto, *Institutiones Iuris Canonici*, I, Romae, 1921, p. 675.
[4] Cfr. Sipos, *Enchiridion Iuris Canonici*, Pecs, 1940, p. 142.

ac ceteri Cappellani. Quodsi, quod Deus avertat, delictum committat, potestati subiacet tum Vicarii Castrensis, tum Ordinarii proprii, tum Ordinariorum locorum in quibus delinquat; sed Ordinarius proprius et Ordinarii locorum, si quando in eum animadvertere contingat, Vicarium Castrensem confestim monere debent.

5. - Ex praesenti Decreto praecedens constitutionis Vicariatus Castrensis Decretum aliquantulum modificari videtur in eo praesertim quod ad interinam successionem Vicarii Castrensis in regimine et administratione Vicariatus se refert. Itaque, deficiente quacumque de causa Vicario Castrensi, administrationem ad interim Vicariatus adsumet Cappellanus Maior, si adsit, sin autem Cappellanus Generalis; quo etiam deficiente, Cappellanus delegatus antiquior, iuxta regulas praecedentiae.

AUGUSTINUS PUGLIESE
Ad. a St. S. C. de Religiosis

II

DECRETUM

FACULTAS AUDIENDI CONFESSIONES PRO MILITUM CAPPELLANIS EXTENDITUR.

Sacramentum Poenitentiae, quo — divina institutione — lapsis post Baptismum beneficium Christi mortis applicatur, iidemque cum Deo reconciliantur, ut fideles frequenter reciperent, nullo umquam tempore Apostolica Sedes destitit vehementer adhortari.

Quo tamen ministerium et potestas clavium in remittendis retinendisque peccatis — tum ad validitatem, tum ad liceitatem quod attinet — rite exerceretur, eadem Sancta Sedes opportunas aptasque per saecula edidit normas, licentiam audiendi sacras confessiones vel quoad locum, vel quoad genus personarum, vel quoad tempus limitando, siquidem in actione iudiciali id consistit, quae, praeterquam potestate ordinis, potestate iurisdictionis ordinaria vel delegata, suapte natura, innititur.

Quae Sacrosancta Tridentina Synodus — divino afflante Spiritu — de audiendis confessionibus decrevit, presbyteros nimirum nullos posse fidelium confessiones excipere, nec ad id idoneos deputari nisi aut parochiale beneficium aut ab Episcopis approbationem obtinuerint, in Codice Iuris Canonici enucleata pressiusque delimitata inveniuntur, atque, nisi animarum salus aliud suadeat, ab omnibus ad quos spectat religiose servanda sunt.

Vicarii Castrenses, quatenus ordinaria fruentes personali iurisdictione, militum vero cappellani animarum curam, paroeciali quasi munere, exercentes subditorum tantummodo, haud dubie definitorum vel concreditorum, confessiones excipiendi potestate ex iure ditantur.

Quandoquidem post diuturnas ac varias recentis aevi vicissitudines, coniunctioribus voluntatibus magisque consociatis fraterno foedere viribus mutuam vitae consuetudinem red-

dere homines percupiunt; crebrioribus ad id effectis earum rerum commerciis quibus populorum ac nationum ratio et moderamen regitur ac fulcitur.

Hisce imo temporibus, et militum copiae de alia in aliam transmitti consuevit dicionem, ita ut in iisdem stativis aut erratictis castris plurium tum agminum tum regionum milites saepenumero castrametari simul contingeret, unumque plurium foederatarum nationum costituerent exercitum.

Cum vero, iisdem in adiunctis, proprius uniuscuiusque agminis cappellanus plerumque praesto esse nequiverit, qui spiritualia cupientibus ministraret adiumenta, ab Apostolica Sede postulatum est ut quilibet militum cappellanus — sive in patria sive extra — in locis tamen militibus reservatis, confessiones excipere valeret Christifidelium omnium quibuscum convivere contingeret, vel proprii vel ceterarum nationum essent subditi Vicariatus Castrensis.

Sacra Congregatio Consistorialis, ad Omnipotentis Dei gloriam ac Ecclesiae utilitatem et aedificationem, re mature perpensa, ne milites, quorum vitae et pietati gravia undique saeva adversantur discrimina, supernis careant, Eucharistico praesertim Pane, in agone solaciis, praesenti Decreto statuere, decernere et declarare opportunum duxit ut:

Universi militum cappellani qui facultate audiendi confessiones a proprio Vicario Castrensi praediti sint, quoties — ubique terrarum — praesentes adsint in locis sive continenter sive transeunter militibus reservatis, hoc est in stativis aut erraticis castris et in navibus, sacri ministerii peragendi causa, valide et licite, de consensu saltem praesumpto proprii Vicarii Castrensis, confessiones excipere possint quorumlibet subditorum cuiuscumque Vicariatus Castrensis qui sponte petierint; ita ut cuivis militi aut subdito cuiuslibet Vicariatus Castrensis peccata sua fas sit confiteri apud quemlibet militum cappellanum cuiusvis nationis, qui memoratis fruatur condicionibus.

Serventur accurate cetera de iure servanda, praesertim quae ad mulierum confessiones attinent.

Ss.mus Dominus Noster Ioannes Divina Providentia Pp. XXIII in Audientia die 27 mensis Novembris anno 1960 habita ab infrascripto Secretario huius Sacrae Congregationis Consisto-

rialis, praesens Decretum Apostolica Auctoritate munire dignatus est atque edi iussit.

Contrariis quibuslibet minime obstantibus.

Datum Romae, die 27 mensis Novembris anno 1960.

✠ Marcellus Card. Mimmi, Ep. Sabinen. et Mandelen., *a Secretis* L. ✠ S.

† Iosephus Ferretto, Archiep. Serdicen., *Adsessor*

(*A.A.S.*, 1961, v. 53, n. 1, pp. 49-50).

ADNOTATIONES

1. - Instructio *Sollemne semper*, 23 apr. 1951 [1], cum ordinaria vicaria, speciali, personali et cumulativa potestate *curam animarum* a Vicario Castrensi singulis Cappellanis militum commissarum concedens (art. X) eisque *paroeciale quasi munus* committens (art. XII), eosque monet ut unusquisque meminerit se adstringi muneribus et obligationibus parochorum, congrua congruis referendo (art. X). Porro munera et obligationes parochorum ea sunt quae in cc. 464 ss. continentur. Praecipue vero debet parochus Sacramenta fidelibus, quoties legitime petant, ministrare (c. 467 § 1), et ex officio pro suo territorio et intra limites suae iurisdictionis fidelium confessiones excipere (c. 873 § 1). Limitatio exercitii potestatis clavium quoad locum, genus personarum, quoad tempus a Sancta Sede per saecula facta in eo iustificatur quatenus potestas ipsa in actione iudiciali consistit, quae, praeterquam potestate Ordinis, potestate iurisdictionis ordinaria vel delegata, suapte natura, innititur.

Inde tum Vicarii Castrenses, ex potestate ordinaria personali (art. I), tum Cappellani militum paroeciale quasi munus obtinentes, subditorum indubie determinatorum confessiones ex officio excipere possunt, non autem aliorum fidelium nec aliorum Ordinariorum militarium subditorum, nisi ex speciali delegatione sive respectivorum Ordinariorum localium sive aliorum Vicariorum Castrensium. Immo tantum ex iurisdictione a proprio Vicario Castrensi delegata Cappellani militum excipere possunt confessiones aliarum personarum, quae, etsi subditae Vicarii Castrensis, nullo

---

[1] *AAS.*, 43 (1951), 562-565; cfr. F. A. Pugliese, *Storia e Legislazione sulla cura pastorale alle Forze Armate*, Casale Monf., 1956, pp. 119-150.

modo, ne transeunter quidem, ad quasi paroeciam militarem ipsis legitime concreditam pertinent. Huiusmodi autem delegatio ab Ordinario Castrensi universis Cappellanis militum concedi solet [2].

2. - Cum autem hisce temporibus militum copiae de alia in aliam transmitti consuevit dicionem, ita ut in iisdem stativis aut erraticiis castris plurium tum agminum tum regionum milites saepenumero castramentari simul contingat, unumque plurium foederatorum Statuum constituent exercitum, v. gr. in agminibus internationalibus ONU, quae dicuntur; cumque, talibus in adiunctis, non facile haberi posset Cappellanus proprius uniuscuisque agminis, qui spiritualia cupientibus ministret adiumenta, praesens Consistoriale Decretum *Sacramentum Poenitentiae*, 27 nov. 1960 [3], opportune providit, facultatem audiendi confessiones pro militum Cappellanis rationabiliter extendendo.

3. - Quare, ne milites aliique fideles iurisdictioni ecclesiasticae militari subditi, quorum vitae et pietati gravie undique saeva adversantur discrimina, supernis careant, Eucheristico praesertim Pane, in agone solaciis, S. Congregatio Consistorialis statuit ut Cappellani militum, ad confessiones accipiendas rite adprobati, in locis militaribus et non militaribus [4] ubi eos ratione ecclesiastici ministerii inveniri contingat, possint, valide et licite, de consensu saltem praesumpto proprii Vicarii Castrensis, confessiones excipere quorumlibet subditorum cuiuscumque Vicariatus Castrensis qui sponte petierint. Subditi autem huiusmodi non tantum milites proprie dicti intelliguntur sed et civiles, viri aut mulieres, non exclusis religiosis, qui militibus legitima ratione, iuxta specialia Decreta, addicuntur. Pro mulierum autem, praesertim religiosarum, confessionibus speciales cautelae et normae iuris observandae erunt (cfr. ecc. 520-527, 909-910).

Qua dispositione corriguntur atque extenduntur praecedentia Decreta v. gr. 13 apr. 1940 n. 1; immo quadamtenus renovantur Decreta pro tempore belli emanata [5].

---

[2] Cfr., F. A. Pugliese, op. cit., p. 101 et p. 102 nota 110.

[3] *AAS.*, 53 (1961), 49-50.

[4] Cfr. Instr. *Sollemne semper*, 23 apr. 1951, art. II; F. A. Pugliese, op. cit., pp. 95-97, 126-127.

[5] V. gr. S. Paenit. Ap., 18 dic. 1914 (*AAS.* 5 1914), 712); 6 febr., 11 mart., 25 et 29 maii 1915 (*AAS.* 6 (1915), 72, 130, 281-282); S. C. Consist., 8 dec. 1939) (*AAS.* 31 (1939), 710), fac. 13 (cfr. F. A. Pugliese, op. cit., pp. 112-118).

Iam in Decreto *Lectissimis militum turmis*, 7 sept. 1957 [6], pro erectione Vicariatus Castrensis in Belgio dicebatur: « Militum Cappellani valide et licite audire possunt confessiones quorumlibet ad se accedentium in locis militibus reservatis », non secus ac parochi locales in propriis paroeciis. Hinc, attentis peculiaribus circumstantiis singularum Vicariatuum Castrensium, quandoque potestas Cappellanorum extenditur et quandoque restringitur. Contra, in praesenti Decreto huiusmodi potestas pro omnibus extenditur, veluti si dispositio nova Instructionis *Sollemne semper* irrevocabiliter adnectatur.

Augustinus Pugliese
Ad. a St. S. C. de Religiosis

---

[6] *AAS.* 49 (1957), 940-943; cfr. A. Pugliese, *Adnotationes* (*Monitor Eccles.*, 1958, 211-221).

JURISPRUDENTIA

SACRAE ROMANAE ROTAE

Coram R. P. D. Petro Mattioli, *Ponente*

Nullitatis Matrimonii

Sententia definitiva diei 14 novembris 1957.

Species Facti. - Julia, ex avito morbo lineae maternae in systemate nerveo graviter debilitata, adhuc adolescens, familia derelicta, vicissitudinibus non paucis et non faustis, per multum temporis, vacavit: donec, ope sacerdotis cuiusdam, cui nomen Aemilius, societati pro operariis subveniendis et catholice instituendis (J. O. C.), coptata est. Et sacerdos iste, paterna pietate actus, eo pervenit ut puellam, opibus quibusque et tecto carentem, in domum suam hospitio reciperet, et ad mensam suam admitteret, et in cubiculo matris suae, eidem ipsi indigenti, lectum suppeditaret.

Sic, inter unum et aliam, nedum spiritualis paternitatis vinculum institutum est, sed etiam veluti naturalis et carnalis: quae enim sollicitudines, officia atque curae pro filiis, maxime foeminini sexus, ac summopere in adolescentia, parentum, lege naturae, humeros gravant, et ab iis, in ordinariis contingentibus, feruntur atque absolvuntur, Juliae isti, inopia afflictae, consiliis ac solamine indigenti, Rev. Aemilius, solus, ea cuncta, pro posse, elargiri studuit.

At, cum rerum condicio ab eo instaurata in tempus indefinitum protrahi non posset, omni nisu sacerdos agere coepit ut Julia in matrimonium undequaque conveniens collocaretur, et ita indigentiae eius, decore ac tuto, tandem provideretur.

Huius (per se optimi) finis assequendi gratia, effecit rev. Aemilius ut puellae cor verteretur ad juvenem bonae indolis, cui nomen Christianus, et istum operarium eiusdem catholicae societatis asseclam.

Restitit equidem puella, nedum dilectione qualibet erga juvenem illum non rapta, sed aversione et naturali repugnantia detenta: at, consiliis atque instantiis summi benefactoris tandem cedens, ad nubendum Christiano se aptavit: itaque, matrimonium factum est, die 6 julii 1946, cum ea esset viginti sex annorum, et sponsus viginti septem et ultra.

Nefastissimo tamen exitu: siquidem, vitae consortium, numquam non agitatum, quinquennio solummodo tenuit; dein, divortio fractum, erroribus adhuc pessimis ansam praebuit.

Etenim, mulier cum altero homine nunc vivit. Vir, e contra, bono pacis in christiana familia frui exoptans, causam de nullitate vinculi, coram Tribunali Curiae, proponendam curavit die 13 martii 1952: ob coactionem, nempe, quam mulier, ex parte quasi-patris sui, illegitime tulisset.

Sed ruit actoris assumptum in sententia quae, primis curis, die 12 februarii 1955 lata est.

Appellante actore H.A.T., heic, citatis citandis, dubium de more positum est: *An constet de matrimonii nullitate, in casu.*

In Jure. - Metum, etiamsi simpliciter reverentialis sit, quandoque qualificatum fieri posse, et ideo vim irritantem praeseferre, explorati juris est.

Reverentialis — ut pariter notum est — non super mala ordinis physici, i. e. super minas, maledictiones, verbera aspera, aut quid simile, fundatur, sed praecipue super nexum, quo subiectus superiori conjungitur, per quem ab eo dependet. Scilicet, concurrentibus adiunctis peculiaribus, nimia fit aliquando superioris auctoritas, ac nimia subiecti submissio, ita ut distantia maxima constabiliatur, difficulter superanda, inter vim voluntatis imperantis, et imbecillitatem voluntatis imperatae: quae, proinde, resistere vel contradicere nequit (cfr. una *Parisien.* coram Mannucci, 1 augusti 1932: vol. XXIV, dec. XLI, n. 3, p. 394).

Haec practice exigere, saepe saepius, vere arduum est. Aequa ratio habeatur — ad jurisprudentiae normas — non modo de aetate, sexu, indole, institutione, moribus, vim inferentis ac vim patientis; sed etiam *de gradu et constantia aversionis* istius eiusdem patientis erga compartem, item illorum omnium, esto patholigicas originis, per quae debilior reddi potest resistentia, aut firmius et durius imperantis mandatum.

Nec obliviscatur quisquis finem malum, semper atque infallibiliter, actum bonum qualemcumque subito in malum convertere: at, e contra finem bonum vel optimum numquam destruere aut immutare posse intrinsecam malitiam cuiuscumque actus: qui, ubi malus natura sua sit, talis remanet (obiective saltem), praecisione facta ab intento optimo, quod agens, in suipsius vel alius favorem, adipiscendum sibi proponit.

Ideo, nihil mirum quod justitiam graviter infringant parentes, qui, felicitatem filiorum unice attendentes, eiusmodi rectissimo fine acti, auctoritate abuntentes, filios eosdem ad invisum matrimonium ineundum, omni nisu, compellere satagunt. Quorum opus eo magis vividum et actuosum, ideo gravius et iniquius est, quo major fit parentum persuasio de vero filiorum bono per matrimonium illud consequendo: cum, nempe, ex amore atque sollicitudine oritur instantia et petulantia eorum, quae, sensim, justitiae provinciam praetergreditur, ut illam compulsionis et vexationis invadat.

In Facto. - Ut aequum de praesenti quaestione judicium ferri

possit, prae primis confutentur ac pellantur oportet nonnulla quaedam, quae minus recte vel minus congrue in sententia primis gradus irrepserunt:

1°) - Jam in limine, Judices primae instantiae conantur opus sac. Aemilii ad gradum merorum consiliorum reducere. Transeat! Sed consilia cum moderatione ac temperantia maxima danda sunt, praesertim quoties, nullo modo requisita vel expetita, proprio tantum marte juvenibus donantur: etenim, quae instanter, et frequenter, et — quod gravius est — gratis prorsus exhibentur, molestissima facile fiunt, et vexationis seu compulsionis gradum facile pertingere possunt, maxime si patiens, gravatum se sentiens auctoritate proponentis, firmiter respondere nesciat vel non audeat.

Ideo, inepte a sententia acceptantur verba illa rev. Aemilii: « Je n'ai jamais insisté pour que ce mariage ait lieu. J'ai pu donner des conseils ». Siquidem, legitime exquiri posset: *Quaenam*? *Quomodo*? *Quoties*?

Superabunde ex tabulis constat sacerdotem hunc pluries, sive oretenus sive per scripta (cfr. litterae in actis), sua consilia, vix umquam expresse requisitum, iteravisse, et adhuc monita quaedam addenda habuisse — veluti ipsa sententia refert - triduo ante celebrationem matrimonii. Numquid hoc modicum videtur, vel aequum, vel (obiective loquendo) prudens omnino? Cur, loco iterandi monita eiusmodi, quae puella nullo modo requisiverat, *quaeque patenter molesta habebat*, aureum silentum sibi non indicendum tenuit?

2°) - Adhuc legitur in sententia citata: « Datum esse, in casu, metum ab extrinseco incussum, non negatur ».

At, hoc posito, quid amplius, vel quid diversum exigi potest ad nullitatem consensus declarandam?

3°) - Sed legitur quoque: « Ex eo quod Rev. Aemilius apud Juliettam institit ut cum Christiano matrimonium iniret, *quamvis ei tales nuptiae vehementer repugnarent*, non sequitur consiliarum incussisse metum injuste. *Non injuste agit nisi qui finem persequitur injustum* ».

Ut supra vidimus, tale principium *omnino falsum est*. Si pro vero haberi posset, omnes fere causae de metu reverentiali negativa sententia essent dimittendae. Unde, inepte prorsus additur in sententia: « Rev. Aemilius asserit se nullum alium intendisse finem, nisi bonum Juliettae, et, inter cetera bona, evasionem ab egestate in qua languebat ».

Quod ultro concedimus: at, distinguendum est inter finem et media; inter agentis intentum, et actus seu gestus, quibus ad

illud assequendum utitur; inter obiectivam seu intrinsecam actuum ac verborum malitiam, et conscientiam plenam ac vividam, ex parte agentis malitiae illius.

Quibus praehabitis, jam judicantis animus vertendus est, equidem attentissime, ad eos qui in hac causa principem locum tenent, idest ad Juliam conventam, et ad Rev. Aemilium, vices patris pro ea gerentem, qui « mon papa chéri » ab ea vocabatur, et, non uno ex titulo, ut talis proprie considerabatur:

A) - Julia — ut jam innuimus — morbidam constitutionem ex parte matris hereditavit. Propter hoc, adolescens adhuc, disciplinae familiaris pertaesa, domum deseruit, et sui juris veluti effecta, pericula atque onera vitae, sola, aggressa est.

Deponit Rev. Aemilius: « ... avait été très négligée par ses parents. Ses patrons, loin d'essayer de compléter ce qui manquait son éducation, l'avaient traitée sans respect. Elle a été recueillie par la J. O. C. dans une détresse physique et morale extrême ».

Deinde, ut per tabulas in aprico venit, omnia infelix puella recepit a rev.do Aemilio: omnia illa — inquam — quibus indiget homo ad vitam physicam, moralem, spiritualem, alendam et evolvendam. Nihil mirum, proinde, quod in hac puella, tot vicissitudinibus vacans, hysteriae signa admodum notabilia apparuerint: veluti sunt difficilis ac tetrica natura, atra bilis, faciles excessus, fluxi libidinis impetus, statutorum vel statuendorum subita ac frequens mutatio, oboedientia ac submissio quasi supina, obstinata pervicacia aliquando insuperabilis et, uno verbo, in omnibus exaggeratio et contradictio.

Ex hoc repetenda est illa judiciorum veritas, quae, de ingenio et indole ejus, in tabulis, a compluribus pronunciata exhibentur. Verbigratia, dicitur eius ingenium a d.no Renato « très masculin »; et instabile, difficile, variabile ab aliis definitur: « ... n'était pas très stable de tempérament, et d'humeur changeante ... caractère difficile ... ».

Item, Andreas quocum congruit Anna vocat eam « un peu excentrique » et Mauritius illam asserit « portée à l'exaltation », simulque addit: « Elle paraissait plutôt autoritaire, et exerçait une influence plutôt que la subir ».

Pariter, varietatis et contradictionis vestigia, quoad conventae indolem, bene relevantur in *suis adversariis*, seu in privatis illis foliis, quae adnotationibus et animadversionibus plurimis, unoquoque fere die, illa replere solebat.

Ibi, sub die 19 aprilis 1946, adnotatum legitur: « ... ça va très mal avec Christian; je ne veux plus le voir encore. Il m'énerve.

J'aimerai mieu un genre comme Maurice. Il n'est pas militant. Il n'en veut plus. Si seulement je pouvais tomber malade. A midi, j'en ai pleuré. Ce soir, je n'ai pas voulu qu'il me donne le bras. Je croyais qu'il ne viendrait pas. Pourquoi le Bon Dieu nous fait - il souffrir l'un et l'autre? Je suis fatiguée ... ».

Et, sub die 20 dicit: « Aujourd'hui ça va mieux; mais il n'est pas venu. Tant pis ... Non, ça ne va pas, car, tout à l'heure, le voyant devant moi, je me suis arrêtée ».

Adhuc, sub die quodam mensis julii, paulo post matrimonium: « Je suis très énervée et me contiens mal avec Christian: ce n'est pas chic ... Le soir nous sommes allées chez M. Busson: ça a mieux été. Les oreilles ont dû sonner à mon papa chéri, car on a parlé de lui ».

Iterum sub die 24 julii: « Aujourd'hui, ça a très bien été. Je me suis sentie pleinement heureuse, et ai offert, avec retard, mais avec tout mon coeur, une parure en écrin à Christian, pour sa fête ».

Rursus, sub die 26 julii: « Hier soir, j'étais encore bien énervée. Nous en avons parlé avec Christian. Je suis dure parfois. Ce matin, ça va très bien. J'ai beaucoup prié, ça m'a fait du bien ».

Postea, die 16 decembris: « Déjà plusieurs jours sans faire mon examen. J'ai encore été bien nerveuse ce soir, un peu méchante. J'ai lutté un peu sans beaucoup de résultat. Il faut que j'y arrive coûte que coûte. Ce sera pour mon papa chéri et pour notre petit.

Enfin, nous avons fait une méditation ce tantôt avec Christian. Il faut que ça change mon caractère, autrement ça n'ira pas. Bonne nuit, mon Jésus. Veillez sur Christian, mon papa, moi etc ».

Tandem, die 17 decembris: « ça mal été aujourd'hui: plus nerveuse que jamais. J'ai beaucoup lutté, c'est encore pire. Enfin, n'en pouvant plus, j'étais pressée que Christian parte pour pleurer un bon coup. Mon papa chéri, cela m'ennuie tant d'être si méchante ... Rien ne me fait réellement plaisir, tout lasse vite. Si j'y croyais, je serais heureuse, mais je me rends malheureuse, et Christian avec moi. Je devrais être contente, mais j'ai peur de n'être pas confiante ».

Fluctuationes huiusmodi ex integro heic relatas Patres Domini voluerunt, ut per ipsas plenissime pandatur animus puellae istius: quae, semper inter contradictoria haerens, sponsum amare vult, seu amare vellet, ac simul non vult, sed statim eam poenitet denegatae dilectionis et gratiae (praesertim, si recordatur monita a quasi-patre recepta), et sic perpetuo angitur, exagitatur, atque lacrimas vix non quotidie effundit (cfr. verba rev.di Aemilii:

« quant aux larmes de Juliette, elles étaient si faciles, que je n'y prenai pas attention ».

Quae, profecto, omnino propria sunt naturae seu constitutionis, quam gravis hysteriae seu psychopatiae forma perturbavit, et quasi subvertit. Propter hoc admirari non possumus quod testes nonnulli referant se numquam aversionem Juliae erga Christianum (quae equidem aversio — velimus ne excidat! — tam certa ex actis est, quam quod maxime) crevisse, aut deponant se mutuae dilectionis sensus, inter sponsos, vidisse, et Juliam contentam conspexisse. At, cum puellis tam morbida et implexa indole pollentibus, quanta prudentia pertractandum sit, ut errores maximi devitentur, nemo est qui ignoret. Tanta, equidem, revdus Aemilius ususne est?

Quae mox sequuntur perspicuum dabunt responsum.

B) - Sac. Aemilius cuius aetas non exhibetur in actis, opificibus adsistendis et christiane instituendis operam suam, zelo et caritate omnino laudandis, continuo navabat. Attamen, salvis finibus et intentionibus, nemo erit qui defendere poterit eum ad prudentiae et gravitatis normas, constanter, verba et acta fecisse, sive quoties cum sponsis istis ei pertractandum fuit, sive quoties coram Judice locutus est: quando, nempe, in jus est arcessitus ad rationem reddendam de iis, quae in favorem controversi matrimonii ipse agenda esse tenuerat.

Quantum, enim, et quoties, sacerdos hic in judicio vacillet, vel sibi aperte contradicat, omnes, qui gestus ac verba eius per tabulas percurrant ac pensent, de plano relevare poterunt. Conscientiae eius tamen sublevandae, duo haec animadvertere liceat: a) - scripsit peropportune actor ad Tribunal: « ... il est bien entendu qu'il (i. e. Rev. Aemilius) est comme témoin, et non comme accusé, comme il avait l'air de le laisser entendre ».

Reapse, complexus eorum, quae revdus Aemilius in judicio tradidit, praeoccupatum eius animum manifestat: veluti si, veritatem ex integro confitens, se reum agnoscere debeat, vel talem eum Judices habere possint.

b) - Sed, et alterum anxietatis motivum, in rev. Aemilio, apprime panditur ex ipsissimis eius verbis. Scripsit enim ad Tribunal, sub die 24 nov. 1953: « Evidemment, j'ai réagi violemment quand on a insinué que, somme-toute, j'avais faussé, presque contraint Juliette au mariage avec Christian pour me débarasser d'elle. *Jamais* je n'y ai pensé, et jamais je n'aurais ainsi osé les mettre tous deux dans une situation impossible, et profaner un sacrement. Je savais, comme tous eux qui la voyaient, que leur

amour n'était pas parfait, loin de là, mais comme tous les autres, je pensais que tout s'arrangerait .. N'en cherchez pas plus.

Je me suis trompé sur la qualité de leur amour, mais quand un a affaire à des personnes déséquilibrées, il est difficile de voir clair. Si j'ai été trop bon la première fois, ne m'en tenez pas rigueur, mais ne m'obligez pas pour cela à forcer la vérité ».

Sed nemo, in hoc mundo, et eo minus personae illae, quae nunc partes in hac causa sunt, revdum Aemilium accusare, vel obiurgare volunt, nec in eum insaevire cupiunt quasi ipse, in hisce parandis nuptiis, dolose egerit, sacramentum profanando, juvenes miseros, ad se eripiendum, in laqueos inextricabiles proiciens! Tam nefandum facinus sine dubio, absolute excludendum est, et nihil prorsus obstat quominus verbo fidamus revdi Aemilii asservantis se nihil aliud prae oculis habuisse, quam bonum filiae illius, ipsi a Providentia concreditae!

Attamen, hoc posito, agnoscatur quoque dicta atque scripta revdi Aemilii in hoc judicio, gravata ac foedata apparere illius timoris pondere, de quo diximus: cuius gratia, ad implicandum in terminis pervenit, vel ad incongrua (ne dicamus falsa) proferenda, vel ad memoriae lapsum, nimis facile et nimis frequenter, denunciandum, unde, longe plura per suum silentium, vel per accusatas obliviones, ipse dixit, aut legitime praesumere sivit, quam per apertam confessionem.

Utcumque, testimoniorum eius summam, quae in hac causa praecipue momentosa sunt, sedulo sequamur oportet. Itaque, ordine temporis, videamus:

1°) - De litteris, a revdo Aemilio S. Tribunali datis sub die 17 decembris 1951. Has litteras ipse aperit dicens se conscripsisse « après avoir longtemps réfléchi, et avoir prié, pour voir clair dans cette affaire ».

Deinde, postquam scripsit de physica ac morali Juliae depressione, ex infaustis anteactae vitae repetenda, addit:

« C'est alors ... que Christian pensa a elle; c'est là qu'il y eut erreur de ma part ... J'ai un peu trop appuyé pour qu'elle accepte ce mariage, celui-ci étant une porte de sortie lui permettant d'avoir une vie normale. J'ai cru un moment qu'elle allait l'aimer, et elle a fait des efforts en ce sens, non seulement il n'y a pas eu de coup de foudre, mais l'amour, tel qu'on l'entend théologiquement n'a jamais eu l'accès à son coeur ».

Recensentur postea rationes et motiva, ob quae, judicio scribentis, puella matrimonium cum Christiano acceptaverit, quamquam non benevisum et non gratum; dein adiicitur: « Ella a donc

accepté le mariage, mais pas de son plein gré, « à contre-coeur », surtout qu'elle s'engageait dans une impasse, je l'ai su par la suite. Je puis certifier que le jour de son mariage a été une véritable corvée, et que le soir même elle pleurait et ne voulait pas s'en aller avec Christian. Pendant l'année où elle fut au M. il a eu toujours une répugnance invincible à accepter l'intimité conjugale, elle ne l'a acceptée que par devoir. Nous espérions que cet état de choses s'améliorerait par la suite.

Après leur départ du M. ce fut le contraire, et pourtant ils n'ont rien ménagé, ni les conseils, ni les efforts, ni les retraites, pour améliorer ... Je ne veux pas dévancer les décisions de la hiérarchie à leur sujet, mais je puis affirmer devant Dieu et devant vous, après mûres réflexions, qu'elle n'a pas agi librement en la circonstance, mais que c'est par contrainte et par peur qu'elle a accepté de dire oui.

Je me souviens que quelques semaines avant leur mariage elle avait envoyé une lettre de rupture à Christian, mettant cela sur le compte de la fatigue et d'un déséquilibre nerveux nous l'avons raisonnée pour qu'elle ne fasse pas des sottises en refusant un mariage qui pouvait lui assurer une vie plus stable ».

Ex quibus, equidem, coram Deo, Judice Divino, et coram judice humano, (nam ad utrumque expresse provocat litterarum auctor) asseveratis tam sollemniter, sine dubio scatent sive gravis et diuturna Juliae in Christianum *adversio*, et praenuptialis, et postnuptialis, sive *coactio*, quae, attentis conaminibus in vanum positis a muliere ad vincendam aversionem illam, et ipsa gravis admodum praesumenda est: quam ea nonnisi ex parte sacerdotis, alterius-parentis, de facto passa est.

Et prae primis Patres in evidentiam summam posuerunt quod rev.dus Aemilius (qui — ut mox videbimus — praedictas suas litteras retractandas tenuit) numquam negare ausus est constantem puellae adversionem, quin imo pluries, inambiguo ac peremptorio verbo, *adversionem eiusmodi gravissimam, sub juramenti vinculo, confirmare debuit*. Et quidem, cum sciscitavit ab eo Judex: « N'a-t-elle pas toujours marqué de la répugnance à ce mariage? », absque haesitatione respondit: « C'était variable, *mais la note dominante c'était la répugnance* ».

Et, in primo judiciali examine, ipse idem dixerat: « ... *elle eût pour lui très vive répulsion physique* »; et insuper, describens vultum et faciem sponsae in die celebrationis, affirmare non dubitaverat: « ... elle avait une tête d'enterrement, et, le soir, elle ne voulait pas cohabiter avec son mari ».

Etsi conscius de tali ac tanta mulieris repulsione erga virum,

voluit revdus Aemilius adhuc S. Tribunali alias litteras mittere, in quibus haec vere miranda declarare ausus est:

« Quand Christian et Juliette sont venus me trouver, ils avaient l'air tellement dans l'embarras, que par sympathie je lui ai envoyé cette lettre (sermo est de epistola diei 17 dec. 1951, supra relata) pour tacher de les dépanner et de les aider, persuadé d'ailleurs qu'elle ne servirait pas à grand' chose...

Alors, on a pressuré la lettre pour me faire dire des choses, à les quelles *je n'avais même pas pensé* ».

Attamen, ad salvandum sacerdotis scribentis decus, dicere debemus quod haec verba scripta videntur ab homine, qui non est compos sui. Optime animadvertit actor, in quadam epistula patrono causae data die 10 januarii 1954: « Il réfléchit (et pendant longtemps!). Ce n'est qu'au bout de trois mois, qu'il nous a envoyé cette lettre, en même temps que ses voeux ».

Quae omnino acceptari debent, utpote quae cum contentis in epistola, de qua controvertitur, plenissime quadrant. Nec, aliunde, intellegi possunt verba illa revdi Aemilii: « ... par sympathie j'ai lui envoyé cette lettre ... persuadé d'ailleurs qu'elle ne servirait pas à grand'chose »: nam, epistola illa *dirigebatur ad S. Tribunal*, coram quo Christianus in eo erat ut causam de nullitate vinculi instauraret, et praecise ad hoc ut Tribunal illud plenam de anteactis notitiam haberet, ita ut recte — quemadmodum auctor epistolae insinuat — sententiam ferre posset. Sententiam — inquam — quam epistolae auctor, ut vidimus, anticipare et quasi suggerere tentat! Et, postquam in epistola illa scripserat se *coram Deo, post enixas preces et maturam meditationem*, conscripsisse, nunc declarare non dubitat se « par sympathie » scripsisse, sub pressione instantium coniugum, reputans epistolam nullius pretii esse! Quae, profecto, si dicta inter se pugnantia quis aestimare non velit, pro somniis phantasticis habere debebit.

Quapropter, retractationem praecedentium assertionum, tam vivide et adminiculate redditarum in epistola diei 17 dec. 1951, respuendam prorsus esse Patres Domini decreverunt.

2°) - Quoad depositiones judiciales revdi Aemilii, praeter adversionem vehementem et constantem Juliae adversus Christianum, quae in ipsis (ut supra jam diximus) liquido patet, haec adhuc relevare praestat:

a) - Interrogatus, die 27 oct. 1953, utrum Julia Cristiano nupserit ob instantias vehementes, respondit: « Je me suis aperçu avant le mariage que Juliette était bien hésitante, et trois jours avant je lui ai dit: « Oui ou non, aimez-vous Christian? Oui ou

non, voulez-vous vous marier? Si c'est pour me faire plaisir, allez vous promener ». Quae, utique, gravi momento destituta non videntur: etenim, sacerdos heic expresse concedit puellam, triduo ante celebrationis diem, adhuc haerentem fuisse. Urgebat, proinde, quam quod maxime, eam tranquillam in silentio relinquere.

Imo, quilibet prudens eam ad abrumpendum hortatus esset, vel saltem ad comperendinandum diem matrimonii. E contra, satis non advertit sacerdos ea verba, quae de facto illis in adiunctis ipse protulit, jam de se, ab intentis et rectis finibus praecisione facta, pro instantia et compulsione, vel saltem pro molesta exturbatione, haberi debere.

b) - Sed addit paulo post: « Si elle m'avait dit *non*, il n'était plus question de mariage ».

Heic pariter non advertit, vel non recordatur, se plene, jam tunc temporis, novisse quod praecipua et evidentissima sponsalium nota constanter fuerat adversio puellae in sponsum (ut ipse idem in judicio confitetur!), quodque puella, non una vice tantum, jam dixerat: « Non », equidem ore rotundo, imo pluries tentaverat sponsum dimittere, et matrimonii celebrationi valedicere. Sed vane prorsus, ob iteratum et importunum sacerdotis interventum apud illam, quae — sicut nemo non videt — sub illius potestate psychologica, aequilibrio carens, inveniebatur (cfr. verba ipsius sacerdotis: « ... elle avait une grande confidence en moi, et donc pour elle je ne pouvais me tromper » — epist. 17 - XII - 51).

c) - Paulo inferius, in eodem judiciali examine, cum Judex ab eo sciscitasset num verum sit quod Julia epistolam abruptionis Christiano miserit « quelque semaines avant le jour de la cérémonie », respondit rev. Aemilius se de his memoriam non amplius servare. Sed hoc bene meminerat dum scribebat ad Tribunal epistolam diei 17 - XII - 1951.

d) - Iterum memoriae lapsum testis accusat, cum Judex quaerit an ipse sponsalium diem statuere curaverit, unde ex legitima suspicione refutemus necesse est sive haec responsa, super fucatam oblivionem innixa, sive cetera multa, per quae interrogatus, negare non audens, se defendere tentat dicendo: « Oui, c'est possible ».

e) - Tandem, ad n. 14, exquirente Judice: « Mr. l'abbé n'at-il pas dit à Christian, depuis le mariage (en février 1952) qu'il désirait ce mariage parce qu'il craignait à force d'être avec Juliette d'avoir la faiblesse de faire « comme d'autres prêtres et de dégringoler »?, respondit testis: « Non, je n'ai pas dit cela ».

At, vehementius premente ipso Christiano, qui interrogatorio adstabat, et circumstantias colloquii revocante, utique substantiam

rei sacerdos admittere debuit, et Judex jussit ut scriberetur in relatione verbali examinis: « ... fait remarquer qu'il a pu dire cette parole, mais que ces craintes qu'il pouvait avoir pour lui personnellement ne sont nullement entrées en ligne de compte dans le conseil qu'il a donné à Juliette ».

Per quae, ni fallimur, dum adhuc contradictio et confusio testis revelatur, aperitur pariter ratio motiva praecipua (in latebris subconscientiae sacerdotis probabilius abdita) tantae sollicitudinis rev.di Aemilii pro nuptiis istis concludendis: quae tamen ratio ceteris, de quibus diximus, non contradicit, et optime cum iis cumulari potest.

C) - Post ea, quae amplissime exposita sunt de ingenio vim patientis et vim inferentis, atque de motivis coactionis exercendae, et coactionis subeundae: non multum dicendum remanet illis quibusvis, qui argumentum aversionis puellae, et coactionis, quam tulit, *directe* aggredi velint.

Aversionem ostendit mulier et dictis et factis. Deponit namque: « Quand M. Emile m'a fait savoir qu'un des Jocistes cherchait à choisir une dirigeante, je répondis: « Que ce ne soit pas moi! Je serais tellement déçue! ». Nec tacet, sive in judiciali depositione, sive in foliis intimis, de modo aspero, quo utebatur in tractando cum Christiano, item de proposito ac studio eum devitandi, et eius colloquia et conventus fugiendi, tandem sat clare insinuat se ita frigide ac repugnanter cum eo, in thalamo, egisse, ut nonnisi pro vero admitti possit id, quod Christianus asseverat et ipse Rev. Aemilius, esto aegre, confirmare debet: nempe, vitam conjugalem injucunde transiisse, ac debiti redditionem fuisse « une corvée pour elle ».

Pariter, de coactione aperte loquitur mulier: « J'estime avoir été contrainte en ce sens *qu'on a exercé sur moi une pression continue*. La confiance, que j'avais dans les prêtres, qui me conseillaient, m'a fait substituer leur point de vue au mien.

L'esprit de la JO. C. était qu'une jociste ne peut épouser qu'un jociste. On m'envoya un mois à B. pour refléchir, et j'étais dans une situation dont je devais absolument sortir. J'ai résisté en refusant, autant que je le pouvais, de voir Christian. J'ai fait valoir mon point de vue: je ne comprenais pas moi-même comment je pouvais avoir de la répulsion à épouser un garçon très chrétien.

J'ai subi toutes les convenances qui s'imposent un jour de mariage, mais je n'ai pu éviter de laisser voir que je n'avais pas d'affection pour Christian. La crainte du ridicule et du scandale

m'a empêchée de répondre « non » à la demande du prêtre: j'étais cependant résolue à me marier malgré moi, en raison des conseils reçus. Je pensais qu'il fallait faire le mariage et que la répulsion n'aurait qu'un temps.

Mon désir profond était de dire « non ». Les conseils reçus m'obligeaient à croire qu'il eût été insensé de dire « non ».

Je savais être mariée légalement et religieusement, *mais le fond de moi-même ne l'acceptait pas* ... j'étais très malheureuse ... J'ai toujours cherché une compensation en dehors du foyer, sans jamais me fixer. Christian souffrait de mes réticences ».

Concordat Christianus: « Au bout de deux ou trois mois, constatant que ça ne répondait pas de son côté, j'ai songé à couper. L'abbé notre conseiller, me pressa d'attendre. Il envoya Juliette se reposer pendant un mois, en lui disant de bien prier le Seigneur. Au retour de B. *M. Emile fixa la data des fiançailles.* J'acceptais sous son influence, dans la pensée que rien de définitif n'était encore fait, et dans l'espérance de relations de fiancés. Au contraire, les fiançailles n'arrangeaient rien, Juliette repoussant très positivement la perspective de m'épouser. Je me rappelle, en particulier, un jour où elle me dit que je perdais mon temps, et qu'il était inutile de continuer. J'ai confié la chose à M. Emile, qui me dit d'attendre. Elle m'a fait toujours bon visage comme camarade, mais jamais comme futur époux...

D'elle même, elle aurait dit « non » dès le dèbut.

La pression est venue de M. Emile ... », et prosequitur actor exponens complura, quae jam constant ob id, quod hausimus ex ipso revdo Aemilio et ex foliis intimis mulieris ipsius.

Cum praeclarum habeatur in actis testimonium de honestate morum, religione, ac veracitate utriusque partis, praesertim actoris de eorum asseverationibus dubitari nequit.

Sui juris firmissimus vindex, scribit actor ad Tribunal: « ...je suis certain que ce que j'ai dit est vrai. J'ai conscience de mon devoir et que par votre intermédiarie, je m'adresse au Seigneur. Je veux que vous voyez clair dans cette affaire, qui, j'en ai la certitude, est juste. Nous sommes suffisamment chrétiens pour comprendre que ce que nous demandons là est vrai ».

Et, de facto, omnia quae exposuit actor in hoc judicio, vel confirmata a conventa et a testibus apparent, vel, utcumque, haud valide a quocumque impugnata: ne quidem a revdo Aemilio, qui, excussus a Judice coram Christiano, nonnulla (quae negaverat) obtorto collo concedere debuit — ut vidimus — et alia (cum expresse negare vel expresse affirmare nimis erat grave) aequivalen-

ter confessus est, se inepte confugiens ad memoriae lapsum, vel agnoscens meram possibilitatem talis et talis eventus.

Opponitur conventa ipsa, cui ceterum declaratio nullitate vinculi maxime cordi est, in judicio dixisse se ex eo, proprie, matrimonium acceptasse, quod putabat Voluntatem Divinam ita pro se disposuisse: « ... un jour, en prière dans une église, j'ai eu nettement l'impression que Dieu voulait que j'épouse Christian. Voilà la première raison pour laquelle je n'ai pas maintenu ma décision de rompre ».

Id, vero, quin substantiam rei subvertat, ne tangit quidem: etenim ea ipsa, expresse declarans primum ac princeps (quod tenet) motivum, practice confirmat etiam alia adfuisse motiva, quorum gratia sponsalia non abrupit. Alioquin, ita ea credere potuit praecise quia pater ac moderator conscientiae eius, instantibus atque nimiis consiliis, tale quid ei continuo, et a pluribus mensibus, insinuaverat: quod, ob nervei eius systematis imbecillitatem, Julia ad pedem litterae interpretari potuit, idemque pro infallibili oraculo accipere et retinere.

Obiiciuntur etiam haec alia reae conventae verba: « La necessité qui me poussa à me marier à contre-coeur est la suivante: je craignais, si je n'épousais pas Christian ... de me retrouver dans la rue, sans logement, sans emploi, sans argent, sans vêtements et sans profession ». Super quibus, ita quis ratiocinari posset: igitur Julia haec omnia non verebatur tamquam sequelam indignationis revdi Aemilii erga illam, sed quia — ut alibi apprehendere datum est — superatis viginti quinque annis aetatis, puellae manere jam amplius nequibant in domo J. O. C., ad normam constitutionum societatis eiusdem. Hinc, necessitas obiectiva cogebat, non autem sacerdotis pressiones.

Quod, etiamsi ex toto dari debeat et concedi, nihil prorsus sequitur contra veritatem assumpti, quod probavimus. Etenim, hanc metus subiectivi formam simul cum metu ab extrinseco, de quo abundanter locuti sumus, coexistere posse, ac pari efficientia agere, quid credere vetat? Sed etiam considerandum est quod Julia, quaecumque fuerint societatis leges, omnia sperare poterat a benefactore et patre amantissimo, ubi eius gratia et favor plena et intacta permansissent, omnia timere ubi desiissent vel languissent. Idque prorsus humanum et planum est, idest ordinariis contingentibus penitus consentaneum.

Obiicitur tandem vitae consortium infelix extitisse ob causas plures, inter quas eminent nonnulli abortus, et defectus prolis, et excitatio nervorum mulieris. Esto! Sed nemo non videt haec omnia et singula nedum aversionem mulieris, qua causam principem

injucunditatis vitae communis, non excludere, sed imo illam praesupponere. Porro: ubi amor, vel saltem pacifica tolerantia viget, ibi quies et pax, ideo facilis nervorum excitationis suppressio: nam, numquam non semper abortus ab agitatione, a defectu tranquillitatis, a nervea excitatione, faciliorem ansam suscipit.

Concluserunt Patres animadvertendo sequelam factorum, quae matrimonio huic et praesenti causae locum dederunt, proprie successisse inter conventam et actorem et revdum Aemilium.

Quapropter, assumpti probatio, in casu, praecipue ex verbis praedictorum, et ex documentis productis, repetenda est.

Nam plures, inter inductos testes, facta salientia non tam negant quam ignorant. Nihilominus, testimonia d.nae Liciae et Rogerii et Genovefae et Marcelli si una simul accipiantur, probationem juvare dicenda sunt.

Similiter, album calculum adiicit epistola dni Caroli ad patronum actoris ac praesertim responsa, in scriptis data, a d.no Renato in insula « Madagascar » degenti, ad quaesita, quae S. Tribunal eidem mittenda curavit. Quorum verborum sucus hic est: « Je puis vous dire que l'opinion des dirigeants jocistes de l'époque et des amis du jeune ménage, était que ce mariage était littéralement fabriqué par l'abbé Emile ».

Et huic judicio, quod vir protulit tam longe vivens, et certe non subornatus, Patres Domini adhaerendum censuerunt.

Quibus omnibus in jure et in facto perpensis, Nos infrascripti Auditores de turno definitive sententiamus: *Affirmative, seu constare de matrimonii nullitate, in casu.*

Petrus Mattioli, *Ponens*
Emmanuel Bonet
Joannes M. Pinna

Nota: Appellante D. V. haec sententia ab altero Turno Rotali, die 3 junii 1958 confirmata est, et exsecutioni demandata.

Cum haec sententia nonnisi prima sit, quae matrimonii nullitatem declaravit, cumque Defensori Vinculi h. S. Tribunalis jus et officium sit appellationem ad normam juris interponendi, jus novas contrahendi nuptias partibus non competit (can. 1986).

Ex Cancellaria Tribunalis S. R. R. Die 14 februarii 1958.

Edmundus Ulinski, Notarius.

Coram R. P. D. Petro Mattioli, *Ponente*

OSLOEN.

Nullitatis Matrimonii

Sententia definitiva diei 4 decembris 1957.

Species Facti. - Paulus, actor noster, in Boiohaemo, judaeus, ortum habuit, et in judaismo adolevit.

Magister philosophiae factus, eo quod jugum Teutonum, qui patriam suam invaserant et judaeos — ut notissimum est — opprimebant, tolerare non valebat, libenter acceptavit munus docendi ab Universitate Osloensi ipsi oblatum: ideo, obtenta a « Protectoratu Germanico in Boiohaemo » licentia ad unum annum valida, in praedictam illam urbem, magisterii assumendi causa, mense januario 1940, se transtulit.

Ibi, utpote qui libidine facile rapiebatur, fornicarium commercium, non multo post, instauravit cum quadam puella norvega acatholica, quae Paulina vocabatur et gratia corporis praefulgebat. Mulier ista, vix non illico, ex eo ferre uterum fassa est.

Igitur, de matrimonio ineundo, ne proles illegitime nasceretur, statim Paulus cogitare coepit. Non enim coscientiae stimulis resistere, vel illos supprimere, ipse solitus erat.

Insuper, tempore eodem, superna gratia ductus, ad amplexandam Ecclesiam intentum animum ac mentem habebat.

Ad exturbanda, tamen, sua de ineundis nuptiis consilia, et ad cor eius ab imis subvertendum, supervenit insolita ac mira mulieris confessio, in dies clarior et amplior: se, nempe, viris pluribus sui corporis copiam fecisse, inter quos et germanicus miles adnumerandus erat. Cuius revelationis gratia, ita anceps et haerens vir devenit, ut discretionis judicium vere amisisse videretur: namque, ex uno latere, sensu erotico compulsus (ut ipse idem candide confitetur), muliebri pulchritudine velut ineluctabiliter trahebatur; ex altero, adversionem maximam patiebatur erga foeminam, quae nonnisi scortorum more se gesserat. Quam, proinde, nullo modo ducere volebat, quia illam, ut consortem vitae suae perpetuam, omnino respuebat.

Quin imo, et alia peculiarissima adversionis motiva non deerant: siquidem, de conceptae prolis paternitate quaelibet dubitatio et possibilis fiebat, post mulieris confessionem, et legitima prorsus ac rationabilis: unde, cum Teutones, idest osores patriae ac gentis suae ferocissimi, jam Norvegam terram occupavissent, et jam onus

imperii eorum ipse perferre deberet, de plano intellegitur major atque gravior repugnantia ad assumendam paternitatem pueri, qui opera militis germanici probabilius conceptus fuerat.

Dum vero haec cunctans Paulus recogitabat, dies, qui pro matrimonii celebratione statutus fuerat, appropinquabat, et omnia jam parata extabant, et mulieris parentes superveniebant ad nuptiis assistendum.

Porro, die 22 aprilis 1941, Paulus, completis complendis, aquis baptismatis regeneratus est, et, die 29 eiusdem mensis, ad ecclesiam osloensem S. Olavi, Paulinae canonice ducendae, denique tandem, se aptavit. Siquidem, pertimuit valde, matrimonium reiciendo, se obiturum iram ac vindictam patris puellae, qui eum potestati dominanti denunciavisset tamquam judaeum boiohaemum in Norvegorum terra, absque legitimo titulo, degentem, et, aliunde, catholicus factus, repellendas tenuerat suggestiones illorum, qui ad matrimonium civili tantum ritu attentandum eum inducere volebant.

Die 12 novembris 1941, proles a muliere edita est; sed, mense augusto praecedenti, separatio coniugalis jam contigerat.

Dein, mense septembri, vir aliam mulierem acatholicam invenerat.

Mulieri isti, Paulus, per civilem actum, die 16 februarii 1946, se copulavit, postquam multa passus est in publicae custodiae campis, quibus Teutones eum damnarunt die 30 junii 1942.

Jam mense octobri a. 1941, Paulus, non sat opportunis consiliis ductus, matrimonii nullitatem accusandam esse tenuerat ob praetensam condicionem, consensui adpositam et non verificatam.

Sed perperam: nam condicio, quae proprie dicatur, ex ipsissimis eius verbis mittenda est.

Igitur, mense augusto 1945, nullitatem iterum accusavit ex metu gravi, quem in contrahendo passus esset: facta autem et adiuncta istiusmodi coactionis, modo praeciso ac perspicuo, adhuc exponere non valuit.

Utcumque, instructione sedulo ac diligenter (prout adversae circumstantiae sinebant) expleta, sententiavit Tribunal Curiae Osloen., die 29 septembris 1947, constare de matrimonii nullitate, in casu.

Cum Defensor vinculi rite Sanctam Sedem appellavisset, causa a Suprema Congregatione S. Officii, per litteras diei 4 decembris 1947, commissa fuit, in altera instantia pertractanda, ad H. A. T.: sed heic, in Turno diei 16 octobris 1951, sententia primi gradus reformata est.

Ex tunc, actor acquievit ac se submisit, ideo acta reposita fuerunt.

Attamen, sub die 21 aprilis 1955, ipse idem actor Episcopum Osloensem humiliter exoravit ut intercederet et obtineret quod causa reassumeretur, et ulteriori examini subiiceretur.

Quod praelaudatus Episcopus exsequendum curavit, datis litteris ad R. P. D. Ponentem praecedentis Turni, ac deinde, ex eius consilio, ad Patronum causae, sub die 25 junii 1955.

Novissima hac petitione actoris ab H. A. T. admissa, statutum est ut de causa, tertia vice, disceptatio fieret. Currente vero disceptatione huiusmodi, tutius visum fuit negocium hoc exigere etiam sub aspectu totalis defectus consensus in actore, quem utique metus, ab eo accusatus, provocavisset. Et, obtenta ad hoc peculiari facultate, per rescriptum Exc. P. D. Decani diei 14 novembris 1957, Apostolica auctoritate datum, denique tandem hodie causa tertio proponitur sub dubio solvendo: *An constet de matrimonii nullitate, in casu.*

In Jure. - Ut matrimonium nullum declarari possit et debeat ex metu, probentur oportet exsistentes, quoad accusatum hunc metum, notae peculiares, de quibus in can. 1087 C. J. C.: nempe, resultet metus iste nedum gravis, absolute vel relative, sed etiam injuste incussus, et vere incussus ab extrinseco, idest a causa libera: tandem ostendatur necesse est patiens elegisse matrimonium praecise ut a metu, qui ponitur, se liberaret.

Quibus, in toto vel in parte, deficientibus, matrimonium nullum ex capite metus declarari non poterit: vetante id praecitato canone, ubi peremptorie definitur per metum cuiusvis alius generis, etsi proprie per ipsum contractui locus detur, consensum haud irritari.

Metus, qui a cit. legis praescripto bene definitur, cuique sanctio irritans ab ipsa lege adponitur, per se consensum non elidit, seu non destruit omnino. Quin imo, metus irritans aliqualis consensus existentiam supponit, etsi non integri: qui, proinde, saltem de mandato Ecclesiae, pro insufficienti seu inefficaci ad vinculum constituendum haberi debet.

Sed — ut nemo non novit — aliquando, praecise metus gratia (sit metus iste qui respondeat notis, de quibus in cit. can. 1087, vel alius prorsus), animus hominis ita agitatur ac subvertitur, ut iste penitus amittat consiliorum suorum dominium, et, certis in adiunctis, vel ipsam eorum intelligentiam, eo usque perveniens, ut, terrore fractus, vere nesciat quid faciat: ex quo, vera simulatio

resultat, eo sensu quod consensus prolationi seu manifestationi, quae ad legis praescriptum externe ponitur, nullo modo internus adsensus respondet, unde omnia reducuntur ad merum verborum sonum.

Nec doctrina huiusmodi nova haberi debet, cum et a probatis modernis AA. tradatur, et ipso jure *Decretalium*, quo docetur matrimonium solo partium consensu posse consistere (cap. *Cum locum*, 14, X, *De spons.*, IV, 1 Alexand. III): qui consensus « adeo necessarius est, ut, si solus desit, etiamsi omnia cetera et ipse coitus adsint, matrimonium non existat » (cap. *Tuae fraternitati*, 25, *de Spons.*).

Simulatio, vero, de qua heic est sermo, aliquando subiective, aliquando obiective contingit

Subiective: sunt enim qui ad activam et personalem simulationem ex metu trahuntur, seu ad proferendum verbum consensus, quem, actu positivo interno voluntatis, respuunt omnino.

Et est casus illius, qui, justam poenam luens ob patratum crimen, et, aliunde, cum noverit celebrationem matrimonii, a quo abhorret, eum a poena liberare posse, hanc celebrationem eligit, metu justo compulsus ac tristissimae condicionis suae pertaesus, sed internum consensum penitus denegans, ac positive respuens (cfr. una *Hostunen.*, coram me Ponente, diei 8 julii 1953).

Obiective: nam et casus verificantur, in quibus, etsi externe verbum consensus profertur, nullus tamen internus actus, subiective ac positive, initur: eo quod, subiectum, non metu quolibet, sed vere immani terrore perculsum, incapax factum est ad quidquid volendum vel respuendum. Id non raro contingere notum est, si homo passione violentissima agitatur, subitaneo modo, ita ut passionis istius vim, quin dominari, sed nec advertete quidem possit, et ideo (odio, amore, libidine, ira, et ceteris huiusmodi, raptus) eo pertingit ut loquatur, agat, vel ab agendo desistat, *in quadam amentiae forma constitutus*, scilicet non compos sui, esto ad tempus plus minus breve, et solummodo quoad certos actus et quoad certas personas.

Statum eiusmodi cl. Gasparri limpidissime describit:

« Vis, seu coactio moralis, active seu causaliter considerata, est alicuius mali instans vel futurum periculum, animum nostrum commovens: quae animi commotio seu tripidatio est metus... Nempe, nos natura malum aversamur, ab eoque refugimus.

Hinc, quando illud videmus instans vel futurum, animus noster trepidat: en timor. Et, eodem naturae instinctu, quo refugimus a malo, nos inclinamur ad id, quo malum evitatur. Quandoque tre-

pidatio mentis talis est ac tanta, ut illud medium evitandi malum amplectamur motu, ut aiunt, primo-primo, absque ulla deliberatione et electione. In hoc casu, deest prorsus consensus, quia voluntas in illud non assentitur, et quidquid nos facimus, est involuntarium simpliciter. Proinde, matrimonium hoc modo initum esset manifeste nullum pleno consensus defectu » (*De matrimonio*, vol. II, n. 833, p. 49, ed. 1932).

Item, de huiusmodi egregie disseritur in una *Vicariat. Ap. Tunnien.*, coram Heiner, diei 7 julii 1911: « Vis, communiter, ab AA., praecedente jurisconsulto romano Paulo (L. I, 2, D. *quod metus causa*, IV, 2) definitur: « Majoris rei impetus, qui repelli non potest ». Cum S. Thoma (*4 dist.*, 22 q. 1, art. 1) distinguenda est duplex vis... Vis absoluta cadit in actus externos et repelli non potest, sive quia tollitur usus rationis, sive quia vim patiens physice resistere non potest, quamvis interne habeat plenum voluntatis dissensum... matrimonium, absque actu humano, concludi non potest. Alia est etc. ». (*Decis. S.R.R.*, vol. III, dec. XXX, p. 333, n. 3; item, cfr. una *Vic. Ap. Novae Guineae Neerlandicae*, coram Jullien, vol. XXX, dec. IV, nn. 2-3, p. 39-40).

In facto. - Prae primis, onus justitiae est quod actor omni exceptione major declaretur: utpote qui, constanter bona fide compulsus, ad veritatis legem semper in judicio locutus est, nihil abdens de iis, quae eius assumpto minus favere videntur, et omnia humiliter atque confidenter aperiens, ea auctoritati Ecclesiae submittens.

Omnia ille exposuit, meliore quo scivit modo, omniaque pro viribus absolvit, quae in huiusmodi absolvenda sunt: quid majus, proinde, quidve diversum ab eo exigi vel attendi poterit?

Quanti momenti haec veracitas sit, praesertim cum agitur de pensitando actu interno, soli Deo per se noto, de plano intelligitur.

Utique, cl. Defensor vinculi, pro munere suo, nonnulla relevanda tenuit, quae minus congrue, forte, ab actore videntur exposita; sed Patres de turno, processualibus tabulis aeque cribratis, facile admiserunt id repeti posse sive ex consiliis non optimis (esto, sine dolo) actori datis, sive ex animi commotione, quam actor tulisse praesumitur in revocandis factis atque eventibus ita lugendis, ut simplex eorum recordatio animum loquentis, imo et legentis, scindat.

Alioquin, optimum actoris jus ab ipso Episcopo Osloen. validissime defenditur atque extollitur: « Maxime (actor) desiderat — legimus in supra cit. epistola Episcopi ad Patronum causae — ut

possit vivere ut bonus catholicus, et liberos catholice educare. Est omnino sincere persuasus de prioris matrimonii nullitate, et in hoc consentiunt Judices, qui sententiam hac in Curia tulerunt ».

Et reapse hi Judices, per eorum sententiam, confirmant animum actoris prorsus rectum et pium, edicentes ipsum praecepta Ecclesiae, in quantum abnormis eius condicio sinit, adimplere, Sanctissimum Sacramentum visitare, doctrinam catholicam acerrime defendere in diariis publicis et in praelectionibus apud Universitatem Osloensem, conversionem sociae suae prudenter curare, filios in religionis sanctitate instituere, ita ut merito, cum ipsis Judicibus, concludi possit ac debeat: « Certum est illum nullo modo falsam assertionem velle proferre, et (quod) plene conscius est de jurisjurandi sanctitate ».

Quo sensu, et qua de causa, actor adversionem erga conventam, certo quodam die, persentire incoeperit; quomodo, hoc non obstante, ad illam ducendam se aptaverit; quid, si non duxisset, ipsi pertimescendum esse retinuerit, seu, quo et quanto terrore perculsus egerit, superabunde ipse idem actor explicat, semper sibi constans, in suis libellis, in suis depositionibus, in suis memorialibus: quibus robur adiungitur per documenta nonnulla, actibus hac in instantia adquisita.

Nempe: clarum est, ex ipsis actoris confessionibus, eum, usque a primis conventibus et colloquiis cum muliere, effrenata libidine in eam raptum fuisse: quae tamen libido, sensim, in dilectionem quamdam mutatur, vel, utcumque, ita cum dilectione miscetur atque confunditur, ut vir, maxime cum certior efficitur de mulieris praegnantia, matrimonium illico sibi proponat inendum.

At, ex novis, et in dies amplioribus mulieris confessionibus, circa sexualia crimina (praesertim cum germanis militibus patrata), vehemens explodit viri adversio: non equidem erga foeminam — bene notetur! — sed erga eam, qua uxorem et vitae consortem perpetuam.

Verbis equidem aptissimis Paulus hanc rerum condicionem pingit, coram Judice profitens: « Postquam Paulina, jam ante relationes habitas cum mercatore ex Dania et cum studioso Norvego narraverat, tandem, die 4 martii 1941, addidit confessionem de sua cum milite germanico Walter T. relatione (cum quo post tres menses, sua sponte, simul fuerat et manserat). Eodem tempore acceperam notitias tristissimas ex patria mea: mater mea scripserat germanos torsisse patrem meum (70 annorum!) et rapuisse positiones eius. Inde, adhuc major aversio contra germanos. Et simul audio Paulinam sese prostituisse cum milite germanico! Sed jam a mense

februario Paulina gravida erat. Ego dubitabam utrum re vera pater essem! Tali gradu jam creverat mea aversio et diffidentia ».

Cuius diffidentiae causa, luctae illi asperrimae locus datur, de qua passim in actibus: propter quam, vir somnum ac pondus brevi amisit, ac *veluti amens* factus est. Nam, stimulus carnis eum mordere non desinebat. Nec coscientiae stimulus, ratione prolis quam mulier conceperat. Et, aliunde, ipse mulierem spernebat, eo quod tamquam meretrix egerat, et quidem cum teutonico milite. Cuius operi, forte, editurae prolis paternitas tribuenda erat: « Maxime turbavit me dubium an puer nasciturus sit meus vel aliorum virorum.

Hinc, consilium valedicendi matrimonio, usque a medio mense martio, a Paulo initum ac recogitatum: quod tamen violentissime et apertissime ex eius ore erupit pridie celebrationis diei, ut ipse idem in libello, dein juramento firmato, exponere curat: « Die 28 aprilis 1941 — inter alia ibi legitur — Paulina praesentavit mihi suos parentes ad sponsalitia venientes. Iracundia commotus, dixi ei: Ego te detestor, quia in ruinam traxisti vitam meam. Ego non contraham matrimonium tecum. Post haec, reliqui eam eiusque parentes. *Quasi amens* in plateis circumvolavi. Eius pater me secutus est. Quando me, post unam horam, omnes tres reppererunt apud Storting (Senatus Norvegorum), ego clara et alta voce, coram omnibus circumstantibus et euntibus, proclamavi: Ego nolo inire matrimonium cum filia vestra, quia est filia prostitutionis. Totus distractus, pater Paulinae porrexit mihi in hotel potum et cibum, declaravitque fortiter in modo me debere matrimonium inire cum Paulina. Mihi miserrimo remanebant duo: certa mors de manu germanorum, vel miserrima vita cum Paulina odiosa. Pressus vi, metuque gravissimo, extrinsecus mihi allato et injustissimo... elegi, cum timore tremoreque maximo, in Norvegia, anno 1941, sub occupatione hostis teutonici, vitam! ».

Malo fato, heic actor *non* dicit — idque in veritatis obsequium agnosci debet — patrem mulieris matrimonium imposuisse, *apprime* atque *expresse* denunciationis minas proferendo. Attamen, e narrationis complexu, legitime eruitur sensus atque adspectus minax patris Paulinae erga Paulum. Agebatur enim de vincenda violentissima adversione ac denegatione, quam Paulus declaraverat. Nec obliviscendum est haec in pervigilio matrimonii contigisse, cum jam cuncta parata extabant. Addatur, insuper, actoris animum jam penitus fractum fuisse propter luctam, de qua diximus, ex causa dubiorum, et timoris, et suspicionum, quibus angebatur: « Mei nervi — adhuc in libello legitur — erant plene resoluti, et

status meae sanitatis psychicae de die in diem ingravescebat. Pluribus personis declaravi me esse in metu periculosissimo, me nolle in matrimonium ducere Paulinam, sed me coactum esse id facere ad salvandam vitam et libertatem ».

Nihil, quam condicio haec relata, facilius acceptatur atque creditur, juxta vetus adagium illud: « Chi è in difetto, è in sospetto ».

Omnia, enim, maxime ob notitias quas e patria sua recipiebat, infelix homo iste expectare poterat ab inimicis stirpis suae ferocissimis: coram quibus, praeter quam originis labe, duplici adhuc culpa seu defectu maculatus apparebat: 1°) quia, ut boiohaemus sub ditione germanica constitutus, in Norvegia vivebat absque valido documento legali; 2°) quia commercium formicarium nexuerat cum muliere norvega stirpis « aricae » (ut tunc dicebatur), quam et matrem reddiderat.

Ipse Paulus nonnulla refert de poenis illis atrocissimis, quae in similibus a potestate germanica inflictae fuerant. Nec facile a nobis, qui tempore illo viximus, et multa audivimus et vidimus, falsa vel aucta eiusmodi facinora definiri poterunt. Adhuc diebus istis legere debuimus, in foliis publicis, relationem processuum instauratorum adversus germanos, qui criminibus, sine nomine ac numero, insaevierunt contra habraeos, in campis custodiae, bello perdurante, detentos! Contra hebraeos — inquam — undequaque innocentes!

Igitur, dicendum est sequelam factorum et adiunctorum, prout ab Actore, fide dignissimo, in judicio redditur, de se tantummodo, solido fundamento non destitutam apparere, jam prius quam cerni possit utrum, testimoniorum ac documentorum vi, plenam probationem adipisci valeat.

Quid de rea conventa?

Etsi rev. Dn. Joannes (qui, ut sacerdos, actorem ad amplexandam fidem disposuit, et nunc testis est in judicio actori ipsi sat contrarius) coram Judice referat ream conventam paratam esse ad quidvis faciendum in favorem Pauli, exoptans ut ipsi status libertas reddatur, tamen, pluries invitata, coram Tribunali canonico Paulina non comparuit, et responsa ad quaesita nonnisi per litteras dare voluit.

Utcumque, his conventae scriptis plene confirmatur (remoto quovis subornationis aut collusionis periculo) animum viri valde turbatum fuisse sive ante celebrationem, sive postea, eumque de initi matrimonii valore, vix non statim, dubia movisse, imo dubia eiusmodi veluti « ideam fixam » persecutum fuisse, et tam, in illis persequindis, institisse, ut etiam ad inquietandum mulieris animum cito perveniret. Ideo — viro premente — debuit mulier sac. Joannem, de his dubiis, consulere. Quod et sacerdos confirmat.

Illud non interest quod sive rev. Joannes, sive mulier conventa, aliud prorsus nullitatis caput, quod tunc vir mente recogitabat, insinuent. Falsa enim nostra aestimatio rei veritatem non mutat. Et veritas summe relevanda, in casu, sequens haec est: Paulum animi quietem, ante nuptias, penitus amisisse, nec, initis nuptiis, illam recuperasse; quin imo, graviorem in dies perturbationem passum esse, usque ad separationem definitivam. Quorum profecto momentum, ad effectum de quo agitur, neminem latere poterit, maxime ubi haec omnia, una simul sumpta, cum depositis a Paulo attente ac perspicue conferantur, itemque cum testimoniis, de quibus mox.

Interrogata fuit mulier conventa ad n. 15: « Estne verum Paulum dixisse pluries, etiam in ipso die nuptiarum, se nolle inire matrimonium tecum? ».

Et responsum conventae est: « Utique, sed utrum hoc ipso die nuptiarum dixerit, non recordor ».

Adhuc, ad n. 16: « Estne verum eum idem dixisse patri tuo? ».

Responsum: « Utique ».

Tandem, ad nn. 17-18: « Putasne eum tecum matrimonium inivisse unice quia timebat ne pater tuus denuntiaret eum germanis? Putas eum egisse ex metu et coactione morali? ».

Et mulier reposuit: « Hae quaestiones responsum reale unice ab ipso Paulo habere possunt. *Utique, puto illud.* Et etiam possibile est eum egisse ex metu et coactione morali. Non est ita facile, pro me, dicere aliquid definitivum circa illud, quia valde difficile mihi est analysare naturam tam complicatam, quam illam Pauli. Sed ille, qui coactionem oderat, potuisset acceptare propositum matrimonii civilis ».

Mulier, ergo, *saltem non negat* Paulum ex graxi denunciationis metu contraxisse. Quod, datis adiunctis, plus quam satis est: nam, expectare non poteramus quod ipsa se de meretricio accusaret (cuius gratia, adversio Pauli erga eam ortum habuit); vel quod patri aperte attribueret minas tam turpes ac probrosas.

Quas equidem minas, expressis ac patentibus verbis, Paulinae patrem numquam pronunciasse, saltem probabilius est. Ipse Paulus id concedere videtur, cum, de mandato S. Rotae iterum excussus, dixit: « Metus *non* a persona determinata incussus: cognoscebam Germanos tunc Nationem occupantes... Effectus ex meo metu fuit me pergere quidem ad nuptias, sed in desperatione conari salvare meipsum, requirendo juramentum ab illa ».

Igitur, Paulinae pater solummodo pro matrimonii celebratione institit (sicut iterum actor asseverat in novissimo mox citato exa-

mine, ad n. 2): quid, autem, ex resistentia Pauli, secutum esset, vel sequi potuisset, ipse idem, tot dubitandi et suspicandi et pertimescendi rationibus exagitatus, de plano, nec absque fundamento, ita intellexit, et ita credidit, ut non amplius intenderet quid agere quidve omittere conveniret.

Amici omnes, qui, tempore celebrationis, ipsi eidem, verbo et opere, adstitisse perhibentur, optimum de his omnibus in judicio testimonium attulerunt: per quod, negocium totum fulgide illuminatur. Et eo validius hoc testimonium a Patribus aestimatum est, quo plus veritate ac discretione eminere patet. Porro, hi testes nihil aliud referunt, quam quod propriis oculis creverunt propriisque auribus perceperunt. Anxietatem viri reddunt, sed non praecisam anxietatis causam, quam nesciunt; verba referunt, quae ille proferebat, quaeque sensum nullum, vel sensum non plenum, praeseferre videntur, et ea explicare vel complere non tentant; aspectum viri extra ordinem pingunt, sed, ultra debitum amico favere non volentes, nihil habent de perturbationis ac trepidationis motivis, etsi insaniae statui hanc perturbationem adaequent.

Haec sunt verba Guillelmi: « Apertum erat eum esse valde depressum, eum versari in difficili situatione mentali propter causas politicas et nationales. Nequaquam extulit suum futurum matrimonium ».

Non dissimiliter Horatius: « Mense februario, ille narrat de « infortunio »: infans conceptus est. « Debeo inire matrimonium cum illa ». Statim postea, sponsalia sine vero gaudio. Ego illi proposui matrimonium (civile), cum divortio immediate post nativitatem infantis. Rogavi aliquem advocatum pro rei tractatione gratuita. Sed ille noluit tale matrimonium; jam frequentabat sacerdotem catholicum, et voluit fieri catholicus. Fuit in permanente depressione psychica. Perdebat pondus. Non dormiebat.

Illa semel dixit: « Si scires quid fecerim, me despiceres »...

Accuratiorem causam indicare non possum. Erat relatio difficilis inter eos ».

Et adhuc idem testis: « Ille sane fuit sub aliqua pressione. Postea audivi de eius difficultatibus politicis. Habuit timorem hystericum. Aliquid eum vehementer torquebat. Ipse hoc non explicavit ulterius ».

Eadem testatur Angelus: « Nervosus, depressus. Cum aliquando per plures dies non videbatur, nos timebamus illum sibi aliquid mali intulisse ex desperatione ».

Nec peculiari momento caret testimonium dominae Liviae: quae, utpote medicam artem exercens, conventam inspexit et acto-

rem auscultavit. Haec, in judicio, sic testata est sine ullo utriusque partis studio: « Memini me eam vidisse, nesciebam nomen illius... Putavit Paulus se non esse patrem. Dixit etiam se esse catholicum. Dixit se debere matrimonium inire, etiam si audiret a medico specialista infantem non esse suum. Illa gaudebat se gravidam esse, quia sic pervenire potuit ad matrimonium...

Illo ultimo die, habuit Paulus apertam repugnantiam contra matrimonium inendum... Non possum deponere accuratiora aut plura, quia hic fuit pro me tantum unus ex multis casibus meis quotidianis in praxi medicali ».

Tandem, postremum ordine, non pondere, venit testimonium d.ni Olavi, ministri protestantici, qui Paulum primo hospitio recepit cum is in Oslo concessit, et veluti « optimus amicus simul ac pastor animae pro illo extitit ».

Hic testis refert: « Fui simul cum Paulo sat saepe. Sumpsi eum mihi in villam ruralem. Ille se sentiebat solus. Documenta politica non erant in ordine. Aliqua inquisitio domestica apud nos, paulo ante diem nuptiarum, eum valde turbavit.

De sua cum Paulina relatione non locutus est ante aestatem 1940. Prima mea impressio erat agi de passione mere carnali. Intellexi eos vivere modo maritali. Paulo ante nuptias, mihi dixit se debere matrimonium inire. Hoc tamen sibi minime placere, se dubitare utrum infans conceptus suus esset. Dixit se eam odio habere, quia non fuisset fidelis. Tres viri possent pater infantis esse.

Habui impressionem Paulum esse valde infelicem. Depressio eius psychica semper crescebat. Dixi eum debere desistere a proposito ducendi eam in matrimonium. Sed illa hoc poscebat. Dixi eum non habere ullum « debitum honoris » si adesset dubium de paternitate infantis. Respondit solum: debeo... Feci omne quod potui ad impediendum matrimonium. Memini alicuius conversationis in eius cubiculo: *fuit totaliter extra se. Non potui loqui rationabiliter cum eo.* Adscripsi hos partim stirpi extraneae et temperamento eius. Habebam impressionem eum bene cogitare posse de suicidio. Alia vice, paulo ante nuptias, respondit pluries nonnisi: debeo. « Debeo, secus vita mea perdita est; adsunt res quas tu intelligere non potes ». Opinor eum fuisse in situatione coactionis, eum non fuisse imputabilem.

Non bene intellexi eum et motiva eius abscondita, donec, post finitum bellum, aenigma solvit etc...

Mea persuasio est hoc numquam fuisse verum matrimonium: deficiunt praesupponenda. Non sciebat quid faciebat. Non aderat quieta deliberatio nec liber cordis consensus ».

His testimoniis, quae — ut eorum sensus ac pondus plene pateat — una simul amplexanda sunt, et cum utriusque partis judicialibus dictis pensanda, documenta addantur, quae novissime ab actore producta sunt: per quae, evidentius adhuc — si tamen oporteret — eius animi condicio, dum matrimonium init, in aprico venit.

Quae profecto documenta, etsi commento non indigent, voluit nihilominus actor per suas notas, Episcopo Osloensi missas, enucleare atque illustrare. His notis, exceptis nonnullis evidenter excipiendis (quae actorem in jure canonico non sat peritum probant, sed quaestionis caput nullimode respiciant), Patres Domini subscribendum esse rati sunt.

In actibus etiam prostat scriptum quoddam patris reae conventae, et scriptum fratris, cui nomen Henricus.

Hoc postremum fere incomprehensibile est.

Quoad scriptum patris adnotetur scribentem, data opera, eludere voluisse responsum directum atque perspicax ad quaesita illi obiecta et proposita.

Unde, nihil aliud ex hoc documento trahere licet, nisi animum et ingenium patris Paulinae ad instandum et ad minandum proclive: per quod, indirecte saltem, thesis actoris confirmatur.

Multa addenda esse non putamus circa contrarium testimonium, a rev.do Joanne prolatum. Prae primis adnotetur, inter dicta huius testis, notitias non deesse, per quas actoris et conventae depositio roboratur, ac thesis de consensus defectu in viro magis fulcitur.

Sed rev. Joannes etiam aliquid dixit, quod contra actorem militare videtur. Id autem dixit non plene de omnibus edoctus. Et, qua de causa actor illum plura celavit, ita actor ipse explicuit, maxime in altero juliciali examine, ut nihil amplius, ad rem, animadvertendum supersit.

Denique, ne excidat ipsam praeclaram Rotalem sententiam, a RR. PP. praecedentis turni prolatam, peropportune relevasse, gravibus innixam testimoniis, mentem animumque actoris valde perturbata fuisse imminentibus nuptiis: unde, laudati Patres saltem dubitandum esse edixerunt « an vir, die nuptiarum, capax fuerit eliciendi consensum validum ».

Se tamen incompetentes habuerunt ad pronunciandum super id, quod ut novum caput eorum oculis apparuit.

Id esse caput *prorsus novum*, Patres praesentis turni nec affirmare nec negare volunt. Quomodocumque res se habeat, incompetentiae dubium nunc superatum est per rescriptum Exc. P. D. Decani, Apostolica auctoritate datum (cfr. supra).

Unde, suppletis seu auctis probationibus quantum fieri poterat, nihil jam obstat quominus de totali consensus defectu, in actore, ob metum gravissimum (ab extrinseco vel ab intrinseco, non interest) quo fractus est, sententia feratur.

Ne dicas id esse ultra petita vel extra petita: nam Paulus, ubi res penitius attendatur, nihil aliud petit quam ut declaretur vinculi nullitas, et quidem ob aliquod vitium, quo consensum eius laborasse tenet.

Tale vitium ille mordicus sustinet ac defendit; quod autem proprio nomine vitium idem nominare non valeat, ipse, qui scientiae juris canonici expers est, ac proinde titubans ac nutans appareat inter condicionem non impletam et metum, de quo in can. 1087: id, per se, neque causae prodest, neque officit.

Satis est quod omnia adamussim exponat, juxta veritatis legem, ad plenam negocii intelligentiam: ceterum, « jura novit Curia ».

Aliunde, Tribunal litem, de qua agitur, plenissime contestatum fuisse dubitari non potest. Nam, de omnibus et singulis, adamussim ac tempestive, Defensorem vinculi certiorem fecit, et, plus quam una vice, partem conventam citandam curavit, ad ipsamque, inexcusabiliter contumacem (quippe quae protestantismo fanatice adhaeret) quaesita per scriptum mittenda tenuit. Quod longe plus est, quam quod lex praecipit ad judicii essentiam, vel ad judicii valorem. Per quaesita eiusmodi, optime potuit Conventa viri mentem amplecti, eiusque petitum intellegere, ac rationes petendi, iisque contradicendi plena facultate fruita est.

Ipsa eadem, per scriptum quaesitis propositis respondens, jam omnia pandit quae in eius cognitionem sunt circa meritum praesentis causae. Unde, supervacaneum prorsus fuisset eam iterum, novissimo hoc tempore, citare, vel de mutatis causae adiunctis certiorem facere. Nam ea, quae ad essentiam judicii, naturali jure, requiruntur, fideliter servata sunt: quoad accidentalia, seu pure formalia, vero, si quid omissum fuit, Apostolica auctoritate omnia suppleta ac sanata sunt.

Quibus omnibus in jure et in facto perpensis, Nos infrascripsti Auditores de turno definitive sententiamus: *Affirmative, seu constare de matrimonii nullitate, in casu.*

Cum vero praesens sententia aequivalenter confirmativa habenda sit illius, quae in prima instantia a Tribunali Curiae Osloen. data est, eo sensu, quo, dum per primam illam sententiam metus admittitur ut consensum vulnerans, per hanc metus pariter agnoscitur, sed ut consensum ex toto supprimens: ideo Patres mandant

Ordinariis locorum et ministris Tribunalium, ad quos spectat, ut hanc sententiam exsecutioni mandent, et adversus reluctantes procedant ad tramitem Codicis Juris Canonici, lib. IV, tit. XVII, adhibitis iis exsecutivis et coercitivis mediis, quae pro rerum adiunctis efficaciora videantur.

ANDREAS JULLIEN, *Decanus*
PETRUS MATTIOLI, *Ponens*
HENRICUS EWERS

NOTA: Haec sententia ad exsecutionem mandata est.

STUDIA
ET
CONSULTATIONES

DE CONDITIONIBUS IN RE MATRIMONIALI

Conventus quidam Theologorum, Moralistarum, Canonistarum die 7 - IV - 1960 celebratus petiit a quodam professore j. c. duplicem favorem pro Conventu die 1 - IX - 1960 celebrando: primo: ut explicet uberius doctrinam de condicione apposita contractui matrimoniali;

secundo: ut sequentem casum matrimonialem Conventui pro disputatione proponat;

Alma E., catholica, desideratissima prolis concipiendae — nam pro ipsa matrimonium sine prole non gaudet scopo intento a Creatore et a normalibus sponsis — celebravit 3 sept. 1957 in quadam Praelatura Nullius « nuptias canonicas cum Magno G., item catholico. Dato tali prolis desiderio animata Alma durantibus sponsalibus saepe saepius conversationem habuit cum sponso circa suam mentem et intentionem relate ad prolem generandam; ipse tandem aliquando hanc sponsae subministravit responsionem: « Non possum tibi dare infantem; non sum potens ad tuum desiderium adimplendum ». Qua confessione Alma perterrita et mente confusa sub lacrimis allocuta est sponsum dicens: « Magne, quid significant haec verba? Esne tu incapax ad prolem generandam via normali? » Respondit: « Iocose et superficialiter, per transennam haec verba protuli; utique ante certum tempus laboravi quodam morbo in apparatu genitalium, usitato in iuventute moderna ». « Nihilominus sermo Magni neque e memoria neque e mente Alma eliminari potuit; ideo sponso expresse hanc declarationem dedit: « Matrimonium est vanum et caret scopo naturali, si non proles laetificet patrem et matrem; tibi nubam sub condicione, si poteris foecundare tuam uxorem! ». « Sis tranquilla, Alma, dabo tibi prolem ad instar Patriarchum V. T. ». Tandem sponsa aliquatenus fidem verbis sponsi dare coepit et contraxit nuptias. Cum autem neonupta, non obstante frequenti usu matrimonii, non obstante summa aptitudine et promptitudine ad actum coniugalem, sese non sentiret matrem factam, adiit plures gynaecologos dubitans utrum forsan *ipsa* causa sit sterilitatis; nam credendum esse censuit dicto mariti asserentis suam fertilitatem; sed periti Alma plene normalem invenerunt. Nihilominus decepta uxor expectavit usque ad finem a. 1959; in vanum nam ne minimum quidem vestigium praegnantiae apparuit. Ideo sub data 15. jan. 1960 celebravit advocatum rotalem extra Urbem, qui libellum accusatorium matrimonii sub hac formula confecit: « constatne de nulli-

tate matrimonii in casu ex capite condicionis appositae et non verificatae ad normam can. 1092 n. 4? ».

A. De condicionibus

Professor juris canonici circa condiciones hanc praelectionem habuit.

Canon 1092 statuit:

Conditio semel apposita et non revocata: 1° si sit de futuro necessaria vel impossibilis vel turpis, sed non contra matrimonii substantiam, pro non adiecta habeatur; 2° si de futuro contra matrimonii substantiam, illud reddit invalidum; 3° si de futuro licita, valorem matrimonii suspendit; 4° si de praeterito vel de praesenti, matrimonium erit validum vel non, prout id, quod conditioni subest, existit vel non ».

I. *Notio Conditionis*: Conditio est dispositionis suspensio ex eventu incerto futuro ei apposito. — Exemplum: ego te ducam, si intra annum dotem sufficientem habueris. Quae dispositio est conditionalis, quia dependet ab incerto hoc eventu futuro: si dotem sufficientem intra annum habueris. Per appositionem huius clausulae adducitur dispositionis suspensio, et eveniente casu, quo dos sufficiens intra annum habebitur, conditio purificatur, et consequenter effectus promissionis non amplius suspenditur.

Quae definitio respicit condicionem *proprie dictam*, scilicet *de futuro libero contingenti*; nam condiciones de futuro necessario, aut de praesenti vel praeterito vocantur et sunt condiciones improprie tales. Nam ad condicionem stricte talem requiritur *objectiva* incertitudo eventus; circumstantia objective jam data, quamvis subjective nondum cognita non est stricte condicio; partes in condicionem deducere possunt cognitionem subjectivam illius circumstantiae, aut tempus aut prioritatem ipsius.

Condicio in sensu lato potest definiri: dispositio actui humano apposita, ex qua consensus pendet. Unde condiciones de praesenti vel de praeterito actus valorem suspendunt quoad nos, i. e. usque ad rei cognitionem. Unde Ulpianus in L. 10, D 28, 7 (*De condit. Instit.*): « cum nulla sit conditio, quae in praeteritum confertur, vel quae in praesens, veluti: si rex Parthorum vivit, si navis in portu stat ».

A conditione proprie dicta distinguuntur *modus, causa, demonstratio.*

Modus est adiectio oneris *post* contractum ferendi et exprimitur per particulam « ut »; v. gr. duco te, *ut* mecum exerceas

artem pistorensem: condicio et modus in hoc differunt, quod illa, ut plurimum, valorem dispositionis suspendit, hic actum legitimum non suspendit nec revocat, sed ad illum accedit, eumque jam perfectum esse supponit (S. R. R. 1921, dec. 24 ad 5, *Decisiones* S. R. R. vol. XIII, p. 226). Condicio suspendit, sed non cogit; modus cogit, sed non suspendit. S. R. R. 1. III. 1913 (Decisiones S. R. R. vol. V p. 134 ad 28) censit verba in: cap. VII, X, IV, tit. V. « contrahentium, donec inveniam... » non continere conditionem proprie datam, sed modum potius contra substantiam matrimonii.

Causa est expressio rationis, ob quam contrahitur, et exprimitur per particulam « quia »; v. gr. te duco, quia filia amici mei es; quia nobilis es, quia fertilis es.

Demonstratio est expressio qualitatis, per quam significatur persona et exprimitur per relativum « qui »; v. gr. duco te quae filia Alberti es, quae libera, quae nobilis, quae dives, quae pulchra es.

Specificum discrimen inter causam et demonstrationem est iuxta Santi (*Prael. J. C.* lib. IV, tit. V, n. 39), ut causa exprimat motivum, quod impellit ad contrahendum; demonstratio vero indicet, quaenam sit intentio contrahentis, vel circa personam, vel circa qualitatem, quae in mente versatur.

II. - *Divisio conditionis*: Condicio dividitur:

1. In *suspensivam*, quae obligationem actus suspendit, seu differt, donec ipsa condicio purificata fuerit, « si » — vel — « si non »: v. gr. ducam te, si frater tuus intra semestre domum paternam dereliquerit; et *resolutivam*, quae obligationem ab initio puram dissolvit et nullam reddit, « nisi » — aut — « nisi non »: v. gr. matrimonium rite contractum dissolvatur, nisi intra annum pepereris filium aut si te praebueris incapacem ad generandum; si te in primo usu matrimonii non invenero virginem intactam; si non permanseris in conjugali fidelitate duco te, nisi intra mensem ditior sponsa occurrerit.

Contractus matrimonialis non patitur condicionem de futuro resolutivam, quia matrimonium semel validum *dissolvi* non *potest per propriam contrahentium voluntatem*; ergo matrimonium sub tali condicione initum est ab initio *invalidum*.

2. In *possibilem* et *impossibilem*: possibilis, quae evenire potest, v. gr. si intra annum mille libellas attuleris; impossibilis, quae eventura repugnat, v. gr. si nunquam morieris.

3. *Possibilis* subdividitur in *necessariam*, quae aut naturaliter existet; v. gr. si cras sol orietur, aut ex dispositione decreti divini certo eveniet, v. gr. si mundus interibit, si pater tuus morietur; quandoque condicio necessaria exprimere intendit conditionem « temporis » i. e. quando pater morietur, seu post mortem patris; — et *contingentem*, quae potest evenire aut non evenire, v. gr. si Papa dispensaverit.

Contingens iterum subdividitur in *potestativam* seu *arbitrariam*, ad quam implendam contrahens est capax, v. gr. si mihi servitium triennale praestiteris, si habitationem praeparaveris; et in *casualem* seu *fortuitam*, quae pendet ex eventu incerto, v. gr. si navis ex America advenerit; vel *mixtam*, quae partim a libera voluntate, partim ab incerto eventu pendet, v. gr. si examen cum nota « eminenter » superaveris.

4. *Impossibilis* subdistinguitur in impossibilem ex *natura rei*, cuius existentiam ipsa natura rei prohibet, v. gr. si in sole tabernaculum tuum posueris; aut impossibilem *de facto* quae propter summam difficultatem existere nequit, v. gr. si puellae pauperi dicas: ducam te, si in dotem attuleris millies millia florenorum aureorum: in impossibilem *de jure*, quae vocatur *turpis*, quia ponitur contra jus naturale, divinum positivum aut legitimum humanum, v. gr. si mecum fornicata fueris, te ducam; si patri tuo venenum dederis, tibi nubam. Huiusmodi condicio vocatur turpis, quia iuxta Papinianum « quae facta laedunt pietatem, existimationem, verecundiam nostram, et ut generaliter dixerim, contra bonos mores, nec facere nos posse credendum est ». (L. 15 D. 28, 7). Quaestionem utrum verba can. 1092 paragraphus 1: « conditio de futuro *turpis* pro non adiecta habetur », contineant fictionem aut praesumptionem juris, tractavit P. Oesterle in Periodico: *Ephemerides Iuris Canonici*, vol. II (1946) p. 92-103.

Condicioni turpi opponitur *honesta*, seu illa, quam nullum jus legitimum reprobat, v. gr. si virginitatem tuam non amiseris, aut si virgo es, te ducam. Condicio impossibilis de jure est aut contraria substantiae matrimonii aut triplici ipsius bono aut ipsi non adversatur.

Summi momenti pro re matrimoniali est condicio contra *substantiam* matrimonii: exclusio ipsius matrimonii (simulatio totalis) aut contra bonum prolis, fidei, sacramenti, (can. 1013, c. 7. X. IV. 5.), S. R. R. 4. VIII. 1922 ad 2.

a) *Condicio contra bonum prolis* his verbis concipitur: si generationem evites totaliter aut partialiter sive per abusum ma-

trimonii onanisticum, sive per usum remediorum anticonceptionalium sive per usum innaturalem conjugis, sive per abortum procurandum, sive per occisionem prolis natae instituendam. Condicio contra bonum religiosum prolis v. gr. per stipulatam educationem prolis in Atheismo, in Paganismo, in Haeresi non est per se contra bonum prolis in sensu juris; nam haec condicio non tangit bonum physicum prolis seu ipsius existentiam vi matrimonii verificandam vel jam verificatam.

Ideo matrimonium impugnari nequit propter non servatam promissionem educationis prolis in ecclesia catholica; quae promissio est per se condicio pro *obtinenda dispensatione* ab impedimento mixtae religionis non autem condicio contra prolem; si autem a parte catholica *ipsa promissio* educationis catholicae apposita fuerit uti conditio sine qua non, matrimonium est declarandum nullum, si defectus seriae voluntatis probatus fuerit (S. R. R. 11 augusti 1921 ad 4. (Decis. S. R. R. vol. XIII. p. 213). Patet matrimonium esse invalidum, si huiusmodi condicio fuerit *resolutiva* seu aliis verbis: quando pars catholica poneret condicionem: matrimonium contrahendum eo momento solvetur quoad vinculum, quo pars acatholica post natam prolem respuit promissionem servandam.

b) *Contra bonum fidei* est condicio: si pro quaestu vel ex alio motivo te tradas adulterandam vel mihi amasiam pro usu permiseris, vel tibi relationem cum alio reservaveris.

c) *Contra bonum sacramenti* est condicio: conjunx remanebo, donec inveniam aliam gratiorem, meliorem, ditiorem, quam te (donec inveniam = si non invenero). Si minister acatholicus, v. gr. calvinista Transilvaniae assistens matrimonio profert formulam ritualem contra substantiam matrimonii his verbis: « contraho tecum, si vel quamdiu manseris in honestate conjugali, vel si fidem thori servaveris ». Nupturientes invalide contrahunt, si hanc formulam *intentionaliter* faciunt suam per actum voluntatis (cfr. hanc formulam apud Bened. XIV, *de Synodo*, lib. XIII, cap. 22, n. 7; n. 8 allegatur S. C. S. O. 1. VIII. 1748, 20 maii 1754, quod citatur in decreto S. C. S. O. 22 julii 1840; *Fontes C. J. C.* n. 883, S. C. S. O. 2 dec. 1680 (1. c. n. 755).

Si nupturientes nil cogitarunt nihilque cogitant, seu si formula ritualis ipsis est mera formula sine substantia, habetur *error* circa substantiam matrimonii, qui non invalidat matrimonium (can. 1084): S. C. S. O. 22 julii 1840; cfr. S. R. R. 21 jan. 1911; 1 martii 1913, Decis. S. R. R. vol. III p. 16 sequ.: vol. V p. 173 sequ.

In Jure Romano *stipulatio* habita est ut nulla, si actui condicio adiecta fuit; condicioni impossibili de facto aequiparata est condicio

impossibilis de jure seu turpis. Quae valent pro stipulatione, valent etiam de aliis contractibus. Jus canonicum in hoc puncto recessit a jure romano, et conditionem *turpem de futuro* pro non adiecta habuit in favorem matrimonii, dummodo ne conditio repugnet substantiae matrimonii. Ratio est: Ecclesia praesumit id, quod honestum est et peccatum excludit; cum autem turpis conditio invitat ad peccatum, Ecclesia praesumit illam non serio, sed nugatorie sine animo obligandi adiectam. Illud « pro non adiecto » exprimit simplicem praesumptionem juris, quae cedit veritati. Unde Doctores dicunt: condiciones simpliciter turpes vitiare seipsas, non vero matrimonium, cui adiiciuntur. Tali modo salvatur et substantia contractus et honor matrimonii, qui postulat, ne contractui ex natura sua sacro adiiciatur condicio turpis neve matrimonium risui et ludibrio tradatur (cfr. S. R. R. 8. IV 1921 vol. XIII, dec. 6 n. 2 p. 63).

Falso quidam Auctores censuerunt (cap. 7. X. IV. 5.) continere in se praesumptionem juris et de jure, quae non admittat probationem in contrarium; item quidam falso censuerunt cit. c. 7 esse legem poenalem, quae non sortiatur effectum in casu ignorantiae, seu aliis verbis: iuxta hos Auctores sibi sponsi conscii esse debuerunt cap. 7 habere conditionem impossibilem pro non adiecta et matrimonium uti purum censere (cfr. Sanchez. *De Matrim.* lib. IV, disp. 3, n. 11).

5. Condicio alia est de *praesenti*, quae facit actum dependere ab eo, quod revera existit, v. gr. si es virgo; alia est *de praeterito*, quae facit actum dependere a facto praeterito, v. gr. si virginitatem amisisti; alia est de *futuro*, quae facit actum dependere ab eo, quod in futuro existet, v. gr. ducam te, si in primo coitu te virginem invenero; matrimonium erit solutum, si te in primo maritali amplexu non reperero virginem inviolatam (condicio resolutiva de futuro).

Sunt condiciones quae videntur esse de futuro, de facto autem sunt de praesenti. De tali condicione S. R. R. Decis. XXIII ad 4. 11. VIII. 1921 (l. c. vol. XIII p. 213): « Tantum est considerandum condiciones, sub quibus matrimonium iniri potest, esse aliquando potestativas seu arbitrarias quae nempe a sola et libera voluntate pendent illius, qui dando vel faciendo illas implere potest; veluti: « ducam te, si religionem christianam amplecti velis ». Qua in re bene distinguendum est inter id, quod sub condicione ponitur cuique alligatur consensus vel dissensus, et eiusdem conditionis implementum.

Profecto, qui consensum in matrimonio subordinat promissioni alterius partis aliquid faciendi vel praestandi, in conditione ponit « *ipsam promissionem quae sincere et serio fieri debet animo sese obligandi*, non vero in conditione promissionis adimplentum cadit, quod est potius obligationis seu promissionis objectum ». Itaque si agatur de onere perpetuo, nequit, quidquid verba sonent, adimplementum intelligi in condicione positum, cum non possit matrimonii valor, a quo licitus usus pendet, perpetuo suspendi; sed conditio tota confertur in praesentem susceptionem obligationis ex animo factam a comparte. Susceptione igitur obligationis deficiente, matrimonium ab initio nullum erit, quidquid opinentur contrahentes.

Cfr. Rota in una *Nullitatis matrimonii*, coram Grazioli 11 augusti 1921 (1. c. vol. XIII p. 223); et in una *Nullitatis matrimonii* coram Massimi, 23 julii 1923 (1. c. vol. XV. p. 175). S. R. R. 24 novembris 1928, (1. c. vol. XX, pag. 453 ad 4); 12 junii 1928; (1. c. pag. 240 ad 2).

Sunt etiam condicione, quae videntur esse de praeterito vel de praesenti, v. gr. si potum sterilitatis sumpsisti; *intentionaliter* autem sunt de futuro: *si prolem evitabis.*

Sunt condiciones de praeterito et de praesenti, quae ex materia sua videntur adversari matrimonio, v. gr. si potum sterilitatis sumpsisti; si es ligata voto perfectae castitatis; quae conditiones non vitiant valorem matrimonii, si praecise indicant factum praesens aut praeteritum; *intentionaliter* huiusmodi condicio potest esse condicio de futuro contra substantiam matrimonii; scil. *si prolem evitabis; si juribus matrimonialibus renuntiabis.*

Nec verum est, consensum alligari non posse promissioni, cuius implementum ex voluntate promittentis pendet. Nam in his adest aequivocatio. Si quidem, si promissionis implementum ita a libera voluntate promittentis penderet, ut hic nullam susceperit obligationem adimplendi quod promisit, certe, prouti nulla adest in casu obligatio, ita nulla huic obligationi non existenti alligari posset conditio. Quod si e contrario, promittens libertatem habet, non de jure sed de facto, non adimplendi obligationem promissione susceptam, quisque potest suum consensum huic conditioni alligare, ut nempe altera pars ad aliquid vel praestandum se sincera promissione obliget. (S. R. R. 11. aug. 1921; vol. XIII. dec. 23 ad 4 p. 214).

6. Sub alio respectu condicio dividitur in *expressam*, quae conceptis verbis apponitur, v. gr. si Calvinistae Transsilvaniae in actu celebrandi matrimonii hanc formulam adhibent: contraho tecum, si manseris in honestate conjugali. Condicio expressa generaliter erit condicio juris privati seu circumstantia haud essen-

tialis, incerta, futura, ipsiusque appositio in tali modo facta, ut ab ipsius existentia vel non esistentia dependeat valor negotii juridici privati.

Expressa est etiam illa condicio, quam ponit sponsus sponsae suae ante matrimonium hisce verbis: si tu es virgo, si virginitatem non amisisti, si te post initas nuptias invenero integram; si post matrimonium te invenero capacem ad generandum; in *tacitam*, quae ex mente contrahentium, vel ex juris dispositione contractui inest vel generaliter in omni contractu. v. gr. si potuero: vel in speciali forma contractus, v. gr. in contractu sponsalitio et matrimoniali, v. gr. si nullum impedimentum intervenerit; si capax ero ad matrimonium; si nihil obstat matrimonio ex jure; conditio tacita continet elementa necessaria pro existentia juris. Huc referri potest condicio *simulata* (S. R. R. 24. III. 1925, decis. 19, ad 2; 1. c vol. XVII p. 142); ipsa habetur, si onus in forma *modi* contractui matrimoniali adjicitur, *re et intentione contrahentium* condicio in pactum deducitur; condicio *latens* habetur, si *modus* contra substantiam matrimonii est appositus (S. R. R. 1 martii 1913, n. 20; 1. c. vol. V p. 194); nam ad effectum inducendae condicionis magis inspicitur substantia dispositionis et mens disponentis quam cortex verborum (cfr. S. R. R. 19 junii 1920 ad 2; 1. c. vol. XII p. 171 seq.). Condicio de futuro, quae *tacite* inest, nihil operatur, etsi exprimatur.

7. Ratione influxus in actum distinguitur condicio *actualiter, virtualiter, habitualiter, interpretative apposita.*

Condicio est *actualiter* apposita, si contrahens actu hic est, nunc de conditione cogitat et ipsam actu hic et nunc vult; condicio actualiter apposita sine attentione ne intelligi quidem potest; nam qui possum velle, quod nullatenus animadverto? Unde condicioni actualiter positae continuo adest attentio. Si condicio in ipsa forma rituali celebrandi exprimitur, habetur actualis condicio; *virtualiter* apposita, si condicio a contrahente antea actu elicita perseveret virtute sua usque ad contractum matrimonialem. Sicuti enim causa efficiens, quae jam cessavit, potest causare, virtute a se relicta, ita condicio actualiter apposita, cum desinit esse actu, potest relinquere sui virtutem et virtualiter permanere, v. gr. cum quis, postquam in contractu sponsalitio aut pridie ante matrimonium celebrandum actu intendit ducere solummodo *virginem* aut capacem ad generandum et hanc intentionem ducit in *conditionem*, et vi huius intentionis se praeparat ad matrimonium, petendo a parocho publicationem futuri matrimonii, definiendo diem celebrandi connubii, loquendo cum sponsa de ipsius statu virginali aut capacitate generandi, quamvis in ipso actu rituali nuptiarum

non cogitet de intentione olim actu habita. In condicione virtuali contingit quaedam dictaminum practicorum concatenatio, quorum alterum pellit ad alterum, quo conservatur primae intentionis virtus. Et licet haec concatenatio aliquando omnino interrumpatur, puta per somnum, conservatur nihilominus primae intentionis virtus, cum in memoriam eius aliquid conservatur, vi cuius post interrumptionem continuatur intentio virtualis, quin actualis interetur.

Condicio *habitualiter* apposita, in quantum opponitur actuali et virtuali, est dispositio seu habitus animo contrahentis, quin tamen haec dispositio in actionem influat; quod obtinet, cum quis tamen haec dispositio in actionem influat; quod obtinet, cum quis antea condicionem posuit neque revocavit; quin tamen nunc vi illius agat. Ad rite intelligendam indolem conditionis virtualiter et habitualiter appositae et differentiam inter utramque, notetur actum praeteritum dispositionem relinquere, quae consistit in dictamine practico habitualiter remanente in intellectu et voluntate. Dictamen practicum est aliquid, quod simul pertinet ad intellectum et voluntatem. Haec dispositio non tollitur nisi per contrarium actum et continet virtutem praeteritae intentionis. Si influit in actionem subsequentem, agens agit ex virtute praeteritae intentionis: condicio virtualiter apposita; si non influit, agens agit cum habitu relicto ex praeterita actione, qui tamen non influit: condicio habitualiter apposita.

Condicionem interpretative appositam habere dicitur ille, qui revera non agit propter condicionem, praesumitur tamen propter ipsam agere, si adverteret aut si ille casus occurreret. Interpretativa condicio non supponit praecessisse actualem, sicut supponit virtualis et habitualis sed absrtahit ab actualiter posita condicione et consequenter etiam a virtuali et habituali.

Exemplum condicionis interpretativae in re matrimoniali est hoc: *si scirem* eam non esse virginem, divitem, sanam, non contraherem; si scrivissem eam non fuisse virginem, divitem, sanam, (Cfr. Gredt, *Elementa philosophiae*, ed. VII, vol. n. II, 881, 4; *Decisiones S. R. R.* vol. XII (1920), decisio XIII, n. 4, p. 107; vol. XIII dec. 24 ad 4, p. 225; vol. VI, pag. 21 ad 17).

8. Ratione *modi*, quo condicio apponitur, distinguere possumus condicionem *unilateraliter* aut *bilateraliter* appositam, v. gr. condicionem de prole vitanda, de solvendo matrimonio, condicionem *mentaliter* conceptam, sed *ad extra non manifestam:* et condicionem *ad extra manifestam* occulte aut publice; condicionem quae in foro externo porbari potest vel non: condicionem apposi-

tam *inscia* altera parte aut *conscia;* si conscia, altera parte *consentiente* vel *dissentiente; condicionem in pactum deductam vel non,* condicionem affirmativam (si); negativam (si non).

Non potest admitti opinio Dr. Triebe asserentis in opere « *Handbuch des kanonischen Eherechtes* » p. 520: character *verae condicionis* postulat appositionem *bilateralem.* Quae sententia repugnat can. 1035, paragraphus 3: 1081, 1086, disciplinae in Tribunalibus vigenti, imprimis cel. Sententiae in Causa Versilien. 2 aug. 1918 (*A.A.S.,* vol. X 389) S.R.R. 5, XII 1927 (*Decis. S.R.R.* vol. 19 p. 505 ad 16).

Condicio de virginitate sponsae: potest esse de praeterito, de praesenti, de futuro. De praeterito, si ita concipitur: te duco, si non amisisti tuam virginitatem; de praesenti: te duco, si es virgo; de futuro: si post initum canonice matrimonium te invenero virginem. Condicio de praeterito vel de praesenti circa virginitatem sponsae est certo honesta: nam respicit bonum physicum, bonum morale, bonum sociale futurae uxoris.

Clare hac de re loquitur S. R. R. decis. XIII ad 3, 19. V. 1920. Ipsa Rota condicionem: si es virgo, habet uti honestam ita ut non valeat matrimonium, nisi condicio purificata sit; item S. R. R. dec. VI ad 2, 8. IV. 1921, p. 64; decis. XXIX ad 3, 30. XI. 1921, p. 271.

Instructio Pastoralis Eystetten. ad 5, n. 392: « Conditio de praeterito vel de praesenti honesta e. g. si es virgo ».

Sunt autem Doctores, qui conditionem de futuro circa virginitatem sponsae censeant conditionem turpem; nam supponit usum matrimonii ante purificatam condicionem; alii vero censent hanc condicionem non esse condicionem turpem ideoque non reiici, sed suspendi contractum, quamvis subintelligatur; *si per coitum* te virginem invenero; quia ea condicio non fertur super actum turpem, sed super honestam virginitatis condicionem (cfr. S. R. R. *Dec.* VI, n. 2, 8, IV, 1921, p. 64). Scriptor huius articuli cognoscit hunc casum: novellus maritus titubante uxore ante usum matrimonii vocavit medicum ad examen virginitatis.

Hucusque dicta valent de condicione *suspensiva* de futuro, seu aliis verbis: si sponsus suum *consensum matrimonialem* dependentem facit a facto *futuro* virginitatis repertae aut non. Non autem valent verba in textu citata pro condicione *resolutiva* matrimonii, seu aliis verbis: si sponsus in ipso actu celebrandi matrimonii consensum matrimonii sub hac condicione praestat: matrimonium rite celebratum *solvam quoad vinculum,* si in prima unione maritali aut alia occasione v. gr. in examine medicali, in manipulatione digitali te non invenero hymene inviolato praeditam.

Quia condicio *turpis*, quae non est contra substantiam matrimonii, prouti est condicio resolutiva, juridice praesumitur praesumptione juris simpliciter *uti non adiecta*, probatio in contrarium institui potest (can. 1825 sq.); si ergo constat conditionem turpem *serio* adiectam fuisse, vitiat consensum; S. R. R. dec. XXV ad 2, 13. VI. 1942, p. 223 sq.; S. R. R. decis. XXV ad 7, 13. VI. 1924 censuit matrimonium esse invalidum, quia vir consensum suum conditioni alligavit: *contraho tecum, si te virginem invenero*, scil. *per concubitum*. Standum est, ita Rota, in casu pro valore condicionis, cum praesumptio juris, quae has conditiones vitiat, facillime cedat veritati.

Summi momenti est factum quod S. R. R. 1 apriliis 1925 hanc sententiam confirmaverit (S.R.R. *Decisiones*, vol. XVII, dec. XX) non obstante sententia negativa primae Instantiae. Ipse nempe actor seu maritus jure accusavit matrimonium de nullitate « ob non impletam condicionem de sponsae virginitate », quam ante matrimonium suo consensui adiecerat; item stat in favorem prolatae doctrinae Causa Nullitatis 30 nov. 1928 (vol. XX, pag. 474 ssq.): matrimonium declaratum nullum ex defectu virginitatis.

III. - *Revocatio conditionis*:

Revocatio condicionis nunquam praesumitur, sed probari debet; nam revocatio condicionis serio appositae est factum; in jure facta non praesumuntur, sed probari debent. Quod axioma solemniter confirmatum est in celebri Causa Versiliensi 2 augusti 1918 (*A.A.S.* vol. X pag. 389); in S. R. R. 30 junii 1910, videntibus omnibus (*Decisiones* S. R. R. vol. II, pag. 221 ad 2; 11 augusti 1910 (l. c. pag. 311 ad 13): « quod quis semel voluit aut noluit, illud semper deinceps velle aut nolle intelligitur, quandiu non retractaverit voluntatem ». « Qui ait mutatam esse voluntatem, *docere* id debet »: 1 martii 1913 (1. c. vol. V pag. 194, n. 21); 18 dec. 1913 (l. c. pag. 639 ad 3); S. R. R. 11 augusti 1921 et 30 nov. 1921 (l. c. vol. 13, pag. 213 ad 3 et pag. 277 ad 8; 2 dec. 1923 n. 2.; quae sententia expresse revocat ad Causam Versalien, prout aliae Sententiae; 24 III. 1925 (l. c. vol. 17, pag. 143 ad 2).

Commemorata autem causa Versalien, quandam celebritatem sibi adepta est. Nam actrix ab anno 1910 actione de nullitate matrimonii instituta in *omnibus Instantiis* negativum responsum recepit; tandem a Benedicto XV specialem Commissionem quinque Cardinalium obtinuit, qui matrimonium declaraverunt nullum ex conditione apposita et non impleta (scilicet *ex conditione immunitatis a labe contubernii*).Quae sententia facta est norma pro

S. R. R. Usus matrimonii conditionate contracti non est revocatio conditionis, ut ipsa S. R. R. in decis. XXIII ad 9 anni 1921 expresse declarat dicens: « Non obstat matrimonium fuisse consummatum; nam apud omnes acceptatum est copulam carnalem per se esse actum libidinis, non vero consensus »; cfr. S. R. R. 15 januarii 1912 ad 10, 23 januarii 1917 ad 18.

IV. - *Effectus conditionis appositae*:

1. Ut matrimonium vere sub conditione initum pro foro ecclesiastico censeatur, oportet:

a) ut condicio apposita *probetur* argumentis juridicis;

b) conditio debet esse posita *actu positivo voluntatis* sive *in actu* contractus matrimonialis (intentio actualis) vel debet esse posita *ante* matrimonium et *virtualiter* perdurare seu quod idem sonat, efficaciter influere in contractum (virtualis intentio). Intentio *ante* matrimonium actualiter elicita censetur virtualiter perdurare, si non fuerit expresse revocata.

c) non debet esse revocata.

d) Condicio debet esse apposita *libera voluntate*, non ex metu gravi injuste incusso.

e) Non requiritur, ut is, qui apponit conditionem, *juridicam vim atque legalia consectaria* actus a se ponendi cognoscat: *sufficit*, ut actum conditionatum ponat (S. R. R. 13 junii 1924; *Decisiones* vol. XVI, pag. 226 ad 7).

2. *Conditio de futuro contra substantiam* matrimonii apposita vitiat ipsum contractum matrimonialem, v. gr. conditio *resolutiva*: si te invenero virginem; aut capacem ad generandum; nam nulla res subsistit sine suis substantialibus; unde matrimonium non subsistit cum conditione contra substantiam.

Conditio *de futuro honesta* suspendit valorem matrimonii usque ad purificatam conditionem; si autem conditio est de futuro necessaria vel impossibilis, vel turpis, sed non contra substantiam matrimonii, pro non adiecta habetur ex praesumptione juris simpliciter; in contrahendis enim nuptiis nemo praesumitur inutiliter, jocose, sine effectu agere. Si quis ergo probare poterit se conditionem impossibilem, necessariam, turpem *seria voluntate* consensui allegasse, praesumptio cedit veritati (S. R. R. 13 junii 1924; *Decisiones* vol. XVI pag. 223 ad 2). Condicio *de re impossibili* quandoque potius *dissensum* in matrimonium quam consensum exprimit.

Si conditio est de praterito vel de praesenti, matrimonium erit validum vel non, prout id quod conditioni subest, existit vel non. Conditio turpis de praeterito et praesenti habenda est pro adiecta et consequenter valor matrimonii ab ea pendet (cfr. can. 1092 4°); nam condicio de praeterito vel praesenti, etsi turpis, non est condicio proprie dicta neque incitat ad peccatum, sed importat simpliciter aliquod factum v. gr. si patrem occidisti; si jam fornicata es; si es deflorata; quae ultima condicio pro viro sexualiter debili necessaria esse potest.

3. *Elementa specialia circa conditionem appositam.*

Unde cognoscatur conditio apposita: Summi momenti pro hac materia est Causa Nullit. 30 nov. 1928 (vol. XX pag. 474 ssq.); cassata fuit prior sententia et declaratum nullum matrimonium ex defectu virginitatis. De quo elemento S. R. R. *decis* XXV ad 2 a. 1924 haec ad rem:

« Condiciones quae asseruntur appositae, cum agnoscendae, tum definiendae sunt. Ut constet de conditione matrimonio apposita, diligenter inquirendum est, an contrahens noluerit matrimonium valere, nisi aliquid futurum sit, vel fiat, vel factum sit. *Etenim si noluit valere, sub conditione contraxit. Qua in inquisitione, peculiaris habenda est ratio aestimationis contrahentium circa momentum eventus vel facti deducti in conditionem. Sed in primis attendendum est, quo modo contrahentes se gesserint, cum primum constiterit de conditionis defectu.*

Quod autem est ad conditionem definiendam, i. e. ad statuendum quid subsit conditioni, recurrendum est ad voluntatem contrahentium, quae in conditionibus primum locum obtinet easque regit (l. 19 *De condit. et demonstr.* 35, 1). *Itaque nimis insistendum non est verbis, quibus usi sunt contrahentes, sed investiganda ipsa voluntas, quid scilicet praesumendum sit partes voluisse per adhibita verba intendere* ». Haec opinio confirmatur a S. R. R. (*Decisiones* vol. XVII dec. 20 ad 2.). *Voluntas enim regit* conditiones.

Jam S. C. C. in cel. Causa Eystaden. 9 febr. 1732 (*Thes.* S. C. C. vol. V, pag. 216) huic sententiae indulsit: Conditiones appositae recipiunt interpretationem non ex verbis, prout per se et abstracte loquendo sonant, *sed iuxta animum mentemque ipsius contrahentis. Veritas vincit praesumptionem legis, et contractus recipit formam ex sententia contrahentis*, cui vim debuit eius voluntas.

Item S. R. R. in decisione VII ad 2 a. 1924: « Ceterum ad diiudicandum, an matrimonium initum fuerit sub condicione « sine qua non », non tantum verbis attendendum est quam substantiae,

ut notavit Rota in Bononien die 4 febr. 1678 (cfr. *Decis.* 161, pars 19, tom. 1 par. 8 inter Recent.) et in alia decisione diei 19 junii 1920 (vol. XII pag. 169); quae deinde decisio ad n. 2 pag. 171 ita se exprimit: « Quae ergo contrahentis fuerit intentio, ab attentione, seu cognitione intellectus, cum qua necessario coniungitur, omnino pendet; adeo ut voluntas ad finem, seu ad matrimonium, se referat ac tendat ac praeciso modo, quo ab intellectu proponitur. Ut innotescat pure ac simpliciter, vel sub conditione potius, qui matrimonium voluerit, prae oculis debet haberi quae contrahentis fuerit dispositio mentis; non enim aliter voluntas ad illud se refert, seu matrimonium intendit ac ab intellectu fuerit receptum atque propositum, *quidquid sit de forma materiali, qua consensus fuit expressus.* Ita fuit notatum a Rota (*Decis.* 161, p. 19 n. 6 tom. 1 Recent), ubi legitur: « ad effectum inducendae conditionis magis inspicitur substantia dispositionis et mens disponentis, quam cortex verborum ». Et condicio habetur quoties « circumstantia est actui adiecta, ex qua ipse actus pendet (D'Annibale, *Summa Theol.* 1, par 14) ».

Apposito modi per se non influit in ipsam validitatem matrimonii : Ratio est: appositio *modi* est proprium negotium juridicum independens a contractu matrimoniali; nam obligationem jam supponit eique solum onus adiecit (ll 1, sq. C VIII, 54); si modus est impossibilis, aut turpis aut contrarius substantiae matrimonii habetur pro non adiecto; quia nulla est obligatio ad impossibile, et ad turpe vel ad contrarium ipsi matrimonio jam contracto.

Modus potest recidere in condicionem: S. R. R. 28 aprilis 1922 ad 6, haec habet: « Ut cognoscatur quando censeri debeat contractus initus sub conditione suspensiva et proprie dicta, quando autem sub modo, attendendum utrum contracturus voluerit statim esse actum validum, an contra ut esset validus primum quando condicio est impleta. Si statim voluit sese validum, sed alterum contrahentem obligare voluit ad aliquid post faciendum, censeri debet contractum esse sub modo factum: si voluit ut tunc primum valeat quando condicio est adimpleta, praesumi debet contractum esse initum sub conditione proprie dicta, et suspensiva ». (Schmalzgr. *Jus Can.* vol. V par. VI, par. 139 et sq.). Ad 7: Modo itaque, nisi hic in conditionem recidat, non est alligata contrahendi voluntas; et ideo, quacumque de causa non adimpleto, matrimonium, cui fuit adjectus, est validum. Quando autem sub conditione initum sit matrimonium, vel sub modo, judicis est determinare, adjunctis omnibus rite perpensis ».

Differentia tota inter *condiciones sine qua non* et inter *modum* est in voluntate contrahentis, apud se sic statuentis, et ab ea sola

dimetitur (l. 19, pr. D. 35, 1; S. R. R. vol. XVII, dec. 19 ad 2, ubi sequens nota: « Saepe enim qui dicitur et apparet solus modus, revera recidit in conditionem (cfr. v. gr. can. 203) et viceversa ».).

Generalem praesumptionem qua decernatur, in re praesertim matrimoniali, agi de conditione potiusquam de modo, Doctores adstruunt ex eo quod obligatio vel onus ante vel in ipso matrimonio impositum susceptumque est, de qua praesumptione Wernz, *Jus Decret.* IV 304, sch. II sic indicat: « Huic sententiae in praxi standum est, quia onus in forma modi contractui matrimoniali adiectum, re et intentione contrahentium saepe potest esse nihil aliud quam simulata conditio in pactum deducta ».

Modum contra substantiam matrimonii irritare ipsum matrimonium, satis illustratur in S. R. R. 1 martii 1913 n. 20.

Discussio Casus

Professor Theologiae moralis in Seminario N. notandum censet: non possum capere advocatum rotalem extra Urbem, qui in libello accusatorio posuit uti caput Nullitatis can. 1092 n. 4. Quae advocati mens certo non correspondit intentioni actricis. Quis poterit capere sponsam sanae mentis reddere consensum matrimonialem dependentem ab uno *decisivo* vitae suae momento, scl. a facto: si hic et nunc es capax ad prolem generandam? Juvenis sponsa desideratissima prolis nullo modo gaudere voluit certitudine, utrum sponsus, de cuius potentia sexuali iuste dubitavit, tempore mutui consensus, sit potens ad actum per se aptum ad prolis generationem; sed voluit habere securitatem de potentia viri pro tempore futuro.

Bene de tali advocato Lega, primus Decanus S. R. R. restauratae hoc iudicium tulit: « Libellus, utpote confectus ab advocatis, non semper genuinam veritatem significare solet ». (*Decisiones* coram Lega p. 245, n. 5). Quibus auditis antecessor j. c. in Universitate L. suam sententiam in haec inclusit verba: post serium studium huius Causae sat elegantis, et non quotidianae consului medicum peritum in gynaecologia; ipse censuit: scientiam advocati rotalis de materia sexuali vagari extra obiectivam rerum veritatem. Quomodo mulier cuiuslibet qualitatis accedens ad altare *cum dubio* de potentia futuri mariti sexuali poterit sine revelatione divina scire: dubium est sine fundamento in re; constat de potentia sponsi; ne sis perturbata?

Recte iudicavit medicus, ita Canonicus theologus dioecesis C. « Omnibus illucescit, ita Canonicus, hoc factum: conditio fuit de futuro ». Sed immediate pulsat ad mentem sat difficilis quaestio:

contra substantiam (can. 1092 n. 2) aut licita (can. 1092 n. 3)? Quaestio in jure nobis exposuit illud: unde cognoscitur conditio apposita? Audivimus illum textum: « Ad effectum inducendae conditionis magis inspicitur substantia dispositionis et mens disponentis, quam cortex verborum ». Et conditio habetur quoties circumstantia est actui adiecta, ex qua ipse actus pendet (D'Annibale, *Summa Theol.* I, par. 14).

Insuper valet illud: « Ad statuendum, quid subsit conditioni, recurrendum est ad voluntatem contrahentium, quae in conditionibus primum locum obtinet easque regit (1. 19 *De condit. et demonstr.* 35. 1). *Itaque nimis insistendum non est verbis , quibus usi sunt contrahentes, sed investiganda ipsa voluntas, quid scilicet praesumendum sit partes voluisse per adhibita verba intendere* ». Haec opinio confirmatur a S. R. R. (*Decisiones* vol. XVII dec. 20 ad 2): *voluntas enim regit* conditiones. Actrix non potuit ponere pro sua mentalitate sat sana et practica potentiam generativam sponsi uti conditionem de futuro licitam. Curnam non? Ex una parte haec condicio suspendit *usum* matrimonii usque ad purgationem condicionis; quae purgatio usque ad mortem sese protrahere potuit; ex altera autem parte solum *usus* matrimonii argumentum de purgata condicione praestare potuit. Unde optime declarat S. R. R. 3. IV. 1917: « contradictoria simul velle absurdum est. » (*Decis.* S. R. R. vol. IX, p. 73 ad 5).

Quid ergo restat, replicat Officialis Tribunalis dioecesis M? Loquor cum S. R. R. 16. II. 1946 ad 6: « in eius mente conditio resolutiva fuit de futuro »; n. 7: « in eius mente non solum conditio resolutiva fuit de futuro, sed etiam realiter » (1. c. vol. 38, p. 123, 124, cf. p. 125, 126). Mens atricis haec fuit: sponsus durantibus sponsalibus sermonem fecit de sua impotentia generandi; sponsa autem vitam matrimonialem sine spe porlis habuit et declaravit inutilem. Unde, ut sibi caveat contra matrimonium infoecundum, ipsa posuit hanc condicionem: si post certum aut incertum tempus, stante mea generandi potentia, ergo sine mea culpa, conceptio prolis locum non habuerit, tale factum unice tribuendum est impotentiae sponsi *ante nuptias* ab ipso iam manifestatae; ergo inutilitas matrimonii est probata; unde matrimonium non gaudet existentia.

Quam conditionem revera positam fuisse iudex prosynodalis Petrus speciali modo excultus in Universitate B. in Psychologia moderna sequentibus argumentis haustis ex *Psychologiae scientia* probare studet; post obtenta et examinata Acta processualia, actrix nata in parvo pago provinciae S. numquam vacavit studio j. c.; numquam ante nuptias locuta est de vi iuridica condicionis matrimonio celebrando appositae. Cum autem per longius tempus

remansisset nuptiae infertiles, postquam plures medici actricem declaraverunt fertilem et sperma mariti examinaverunt, sub his circumstantiis misere decepta uxor in memoriam revocavit *condicionem* tempore nuptiali positam: si matrimonium remanet sterile, pro me est solutum. Omnis homo, ita pergit iudex prosynodalis, qui gaudet capacitate psychologica ad capiendam virginem intactam, natam in pago minoris culturae, hanc persuasionem sibi formare debet: solummodo sponsa, quae « realiter » talem condicionem posuit, post annos infelicis matrimonii memoriam talis condicionis habet et habere potest.

Fundamentum psychologicum pro ponenda et iustificanda condicione fuit pro sponsa duplex: primum: verba a sponso prolata circa suam potentiam sexualem; cum enim sponsa suam mentem circa copiosam familiam generandam et nutriendam manifestasset, sponsus respondit: « Non possum tibi dare prolem; sum enim incapax ad hoc ». *Sub lacrimis* postulavit a Magno Alma ulteriorem horum verborum expositionem: sed ipse tacuit: deinde locutus est de quodam morbo tempore stipendii militaris contracto et usitato in juventute moderna, sed iamiam superato. Insistente Alma claris, non ambiguis verbis Magnus censuit proferendam hanc excusationem: « modo iocoso, superficiali, levi locutus sum ». Cum autem decepta uxor maritum post ipsius examen coram medico T. institutum interpellasset hisce verbis: « Magne, habuistine in contrahendo matrimonio scientiam aliqualem tuae impotentiae? » respondit: « Utique, non sum masculinus vir, sed spado ».

Quae allegata verba, ita continua iudex prosynodalis, demonstrant advocatum rotalem *iustissime petiise* ab Officiali ut partes ab ipso Officiali iudicialiter examinarentur, non a parocho proprio, non perito in quaestione difficillima de conditionibus contractui matrimoniali appositis; porro advocatus postulavit, ut data discrepantia ambo coniuges inter se confrontentur (can. 1772 § 2, *Instructio* S. C. de Sacr. 15. VIII. 1936 art. 114 § 2).

Secundum fundamentum, quod illustrat positionem condicionis a parte actricis, fuit vehementissimum desiderium dandi vitam infantibus. Quod desiderium resultat ex hoc facto: uxor sine spe prolis intenderat adoptionem filii: maritus dixit: nequaquam; sed volo habere filium ex te tamquam mea uxore, provideas tibi loco meo patrem; cuius amplexum Alma desiderans prolem non solum passive admisit, sed directe provocavit. Talis modus agendi, pro peritis in iure matrimoniali, non vagatur extra rerum naturam. Viri impotentes et steriles quandoque permittunt — ne plus dicam — suis uxoribus deceptis et desolatis relationem cum alio viro. Nonne socrus lacrimanti de orbitate nurui subministrat hoc « bo-

num consilium »: alius sit tibi maritus, sed proles nascenda est tui mariti. Nonne ipse Magnus dixit Almae: « Volo a te ut mea uxore infantulum, etsi alius vir debet supplere meas vices »? Unde tempore praegnantiae creatae ab amasio Almae Magnus sine ullis opprobriis toleravit hunc statum.

Alter iudex prosynodalis notat: Condicio tempore celebrandi matrimonii habita virtualiter adhuc suum influxum exercuit, ut audienti expositionem iuridicam patet; eadem etiam demonstrat de revocatione condicionis non posse esse sermonem.

« Sed, sic instat D. V. in Tribunali U., quomodo res se habet cum jure accusandi matrimonium? Nonne Alma est *causa directa et dolosa* nullitatis matrimonii? » (*Pont. Comm.* 27. Julii 1942).

Officialis competentis Tribunalis, qui adhuc summum silentium observavit, sequens responsum dedit: post serium studium articuli P. J. M. Restrepo S. J. (*Periodica de re morali canonica liturgica*, vol. XXXII p. 114-117), et post ponderatum tractatum uberrime elaboratum a Joh. *Pendola*, tunc Promotore Justitiae in S. R. R. (1. c. vol. XXXVIII p. 140-165, 235 - 251), de jure accusandi matrimonii ad normam (Decl. auth. D. 27 Julii 1942) perveni ad hanc firmam persuasionem: in atrice Alma non poterit esse illo momento sermo de causa *dolosa;* nam defuerunt in casu omnia praesupposita doli in agendo.

Tandem declaravit Judex Jnstructor Tribunalis O.: huius modi Causa non prima vice mihi occurrit; inveni solutionem illo tempore in cel. Causa Cameracen. de 19. VI. 1909 (*Cecisiones* S. R. R. vol. I, p. 68-77). Status quaestionis hic fuit: « Neleus cum coepisset, ineunte anno 1904, frequentare domum propriae sponsae Panopis quae cum parentibus vitam ducebat, in suis, quae habebat cum sponsa, colloquiis, quendam acrem et foetidum odorem percepisse affirmat ab illa manantem. Quo propterea pertaesus, voluit, ut de hac re medici consulerentur. Consilium idcirco requisitum est doctoris Serrapis, cuius opera iam familia sponsae utebatur; sed peritissimus medicus de perfecta sanitate Panopis testimonium dedit. At cum iterum Neleus postea eundem odorem in illa persensisset, suae matri manifestavit, se numquam Panopem esse ducturum, nisi per aliam medicam consultationem certior factus esset, sponsam immunem esse ab infirmitate, quae ozaena nuncupatur. Qua de re, Panope secundae inspectioni apud doctorem Iphicratem se subiiciebat, qui tamen eam ozaenae expertem declaravit. Hoc in causa fuit, ut Neleus suas curas animique anxietates circa morbi exsistentiam deponeret, et die 26 Aprilis matrimoniale foedus in maiori ecclesia rite contraheret cum Panope. Verum postridie a coniugii celebratione et in ipso voluptuario

itinere quod aggressi sunt neo-coniuges, uxor, asserit vir, rursus ingratum odorem afflare coepit, adeo ut cogitatum fuerit iter arctare, ut Panope novis doctorem consultationibus subiiceretur. At non idem fuit peritorum iudicium, qui: in diversas abierunt sententias. Rebus sic stantibus, coniugalis vita iam ab initio haud iucunda fuit, et vir duos post menses a contracto matrimonio separationem tori decernit; atque deinde, cum aliquantisper eius uxor ad parentes divertisset, per contumeliosam epistolam eidem praecepit, ut ad coniugalem domum non amplius reverteretur. Non dubitavit tunc mulier civile adire tribunal, a quo divortii sententiam obtinuit, ob iniurias a marito acceptas. Cogitans interea Neleus de suae uxoris morbo, cuius absentiam ut condicionem sine qua non dicit apposuisse in matrimonio ineundo, Curiae supplicem misit libellum, ut suum cum Panope matrimonium nullum declararetur, ob non impletam conditionem ». Quae Causa quandam celebritatem adepta est, nam quattuor vicibus tractata fuit, prima Instantia sententiavit: constare de nullitate; S. R. R. sub data supra indicata: non constare de nullitate matrimonii in casu; appelante Neleo ad sequentem Turnum, Praeside cel. Decano Lega post processum suppletorium, favorabilis Sententia lata est (1. c. vol. II P. 300-312; 11. VIII. 1910). Non obstante duplici Sententia affirmativa D. V. appelavit ad tertium Turnum; et prodiit 23. VI. 1911 (1. c. vol. III p. 293-311) de novo favorabilis Sententia, quae facta est exsecutiva.

Judex Instructor declarat: pro Causa actricis excerpsi ex instructiva Sententia Praeside Lega et coram Perathoner sequentia elementa: (n. 2 p. 301 sq) « Quod factum attinet, DD. AA. ex universis tabulis processualibus omnino constare censuerunt:

a) Panopem ozena, vel simili morbo, laborasse:

b) Neleum infirmitatis absentiam, tamquam conditionem sine qua non, matrimonio apposuisse, et

c) hanc conditionem numquam fuisse revocatam. Et sane, si valet illud principium: « Medicis in re medica credendum est », in primis constat Panopem, iam ante matrimonium morbo aliquo laborasse foetorem causante ».

Sententia n. 5 pergit: Neleus vero ante contractum nuptialem posuisse uti conditionem sine qua non, immunitatem sponsae ab ozena in dubitationem adduci nequit. Ipse enim Actor sub iuramenti fide haec deponit: « J'ai apposé une condition formelle et sine qua non celle que Mademoiselle ne serait pas atteinte d'ozène. Cette condition est restée dans mon intime non pas seulement comme un état dans lequel je perseverait depuis long-

temps, mais comme un acte spécialement voulu dans le moment même ». In n. 8 S. R. R. hanc mentem manifestat: « Verum intentio, quae pro obiecto habebat existentiam aut absentiam morbi, nullimode innixa erat huic conditioni, nempe si existentia vel absentia probaretur ante nuptias et ab hac penderet consensus in easdem nuptias; sed intentio semper eadem perseveravit, cui alligatus erat consensus: « si elle est malade, je ne me marie pas ». Quod adeo verum est, ut non ipse actor expetierit explorationem physicam suae sponsae, sed eius mater adierit illius familiam, ut significaret anxios timores filii, et exinde pater sponsae voluit periti physici consultum » (conditio resolutiva).

Ad obiectionem factam: Neleus post examen medicum sponsae favorabile deponit suam haesitationem. Sententia in eodem n. 8 respondet: « Quare exitus consulti medici non potuit dissipare animi intentionem seu conditionem, quae numquam pro obiecto habuit medicam explorationem. Revera animus Nelei dubius haesit, anxius permansit et in actu nuptiarum et post nuptias ». Numerus 9 hoc grave momentum continet: « Hisce quoad factum positis, in iure in primis advertatur quod notatum fuit in Decis. 161, n. 6 part. 19, t. 1 Recent. ad effectum inducendae conditionis magis inspicitur substantia dispositionis et mens disponentium, quam cortex verborum. Et habetur condicio quoties habetur circumstantia actui adiecta ex qua ipse actus pendet ». (D'Annib. I n. 14). Posita autem conditione nostra existimatio, quae falso putet hanc fuisse adimpletam, nihil mutat in re. Docet idem D'Annibale (l. c. nota 31) « quamobrem sponsalibus initis sub ea conditione: si parentes consenserint... his consentientibus, statim obligant et pariunt impedimentum publicae honestatis: his dissentientibus, illico evanescunt, sive sponsi sciant parentes consensisse, vel dissensisse vel id ignorent ». Hic est ludere verbis, si insistatur in attestatione sacerdotis Oilei ubi Neleus asserit: « au moment je n'ai pas pensé à cette condition que j'avais posée avant ». Siquidem tunc Neleus credebat, sed falso credebat, morbum revera non adesse. In 10 allegatur obiectio primae Sententiae: « at quaeso, an nesciens conditionis valorem, nec etiam possibilitatem conditionem apponendi ad effectum qui deinde necessario consequitur, potest dici quod matrimonium sub conditione contraxerit? » Responsum hoc fuit: « Sed iuxta effatum, nostra existimatio rerum veritatem non mutat; quare actor ductus persuasione quod enuntiata conditio in contractu — si non verbis tamen re suberat — eadem sinceritate et simplicitate qua conditionis appositae effectum et indolem se ignorasse fassus est, prosequitur: « aujourd'hui je demande à l'Eglise la nullité de mon mariage pour le motif sui-

vant: Je n'ai voulu me marier qu'à la condition qu'on me prouverait que l'ozène n'existait pas chéz ma femme. Or la condition ne s'est pas verifiée si bien que à trois semaines de distance le même docteur niait d'abord et affirmait ensuite l'existence de ce mal ». Iamvero eae, quas attulimus, quaeque undique in toto processu abundant, attestationes, huius assertionis veritatem confirmant, adeo ut ne defensor quidem Vinculi negare possit conditionis appositionem ante matrimonium, sed contendat omni procul dubio constare hanc fuisse completam utpote de praesenti ante nuptiarum celebrationem, et hinc fuisse revocatam ob conceptam persuasionem de non existentia morbi, ipso sponso fatente: « C'est ainsi que j'ai été rassuré, que j'ai été conduit à me marier quand même », et ob factum quod, nonostante eius proposito non ducendi Panopem tamen illam de facto duxit, ita resiliens ab apposita conditione. Sed quia plura cumulata sunt verba sive testium sive ipsius actoris a Defensore Vinculi, unde deduxit conditionem appositam fuisse completam, quia explorato morbo medicus Iphicrates retulit sponsam morbo non esse affectam, quaestio huc recidit ut declaretur, quaenam fuerit intentio sponsi in apponenda conditione, et utrum haec intentio fuerit revocata ».

In nn. 11 - 13 explicatur doctrina de intentione.

Subsequens Sententia de 23. VI. 1911 coram Mori Ponente Causam Nelei — consequenter etiam Causam Almae — uberius explicat; in n. 5 haec habentur: « Secundo R.mi Patres, acta processus expendentes, pro comperto retinuerunt pariter in probatis extare, quod Neleus exemptionem suae sponsae a praedicto morbo apposuerit tamquam conditionem sine qua non pro matrimonii celebratione. Hoc, omissa declaratione iurata ipsius actoris, ex pluribus aliis evincitur ». « Insuper, de n. 6. R.mi Patres appositionem conditionis arguerunt ex modo et ratione quam Neleus adhibuit in matrimonii conclusione ». Assertum exemplis illustratur. « Neque Patres admittere potuerunt quod vinculi defensor propugnat, scilicet adhibitas a Neleo diligentias non secum tulisse appositionem conditionis, sed tantum mansisse in limine indaginis, ideoque praestitum consensum evasisse purum ex peractis scrutationibus et peritiis. Hanc difficultatem nullum pondus habere facile ex sequenti observatione deducitur, reponendo quod Neleus hanc viam sequi non impediebatur: sed aliam de facto cautius et prudentius amplexus est, requirens dictam exemptionem a morbo ut conditionem sine qua non. In casu est quaestio voluntatis et quomodo fuerit expressa superius visum fuit ». (n. 7) Item pergit

Sententia n. 8. R.mi Patres amplecti non potuerunt alteram vinculi defensoris animadversionem contendentis, in hypothesi adiectae conditionis hanc versatam fuisse in probatione per medici attestationem suam sponsam immunem extare ab incriminato morbo, quam conditionem purificatam et verificatam esse ait per expletam primam inspectionem medici Vertumnii. Defensor vinculi se fundat ad hoc probandum in sequentibus verbis, quae leguntur in libello iudicii introductivo ab actore producto coram Curia: « Je déclarai á ma mère, que jamais je ne me marierais dans cette incertitude, que j'étais décidé á rompre, si on ne me prouvait pas par un visite médicale, que l'ozène n'existe pas chez Mlle. Panopes ». Defensor non bene distinguit medium a fine quem sibi proponebat actor. Neleus exemptionem sponsae a morbo ut conditionem intendebat, et unum ex mediis ad hoc detegendum erat inspectio medica ».

In n. 9, haec animadversio D. V. habetur: « Neque pariformiter recipi potuit censura mota a vinculi defensore contra iudices appellatae sententiae, quasi ipsi litis obiectum mutaverint asserendo quod obiectum conditionis non fuit morbus specificus ozaenae, sed in genere morbus causa foetidi odoris. Revera quod ageretur de vero morbo ozaenae post celebratum matrimonium detectum fuit: ante matrimonium latebat qualitas morbi. Doctor Licinius Neleo communicaverat, quod morbi ex nasi foetore graves esse poterant, indicans graves consequentias, et nomen ozenae pronunciavit: et ille respondit: « S'il y a pareille histoire, je ne veux rien savoir, je ne me marie pas »; et alibi Neleus loquens cum Niveo aiebat: « si elle est malade, je ne me marie pas ». Neleus nesciebat naturam morbi, sed tantum eius effectus persentiebat; unde conditionem appositam intelligere tantum valebat de morbo eiusmodi effectum causante; quod si ipse deinde ozaenam edixit, id factum est quia hoc verbum a doctore Licinio didicerat. Hinc obiectum condicionis non tantum mutatum dici debet, sed potius directum ad morbi consequentias, quatenus ipse se referebat principaliter ad effectum foetidi odoris exitialem, qui sicuti ex ozaena ita ex alio gravi morbo provenire poterat ».

De virtuali perseverentia condicionis in n. 10 et sq. Patres sequentia argumenta statuerunt, « Verum cum non sufficiat conditionem fuisse appositam, sed ulterius requiratur ut ea saltem virtualiter perseveret usque ad matrimonii celebrationem, R.mi Patres hoc quaestionis punctum discutientes, eiusmodi perseverantiam excludere non potuerunt: conditio siquidem a Neleo iam posita, post primam medici Vertumnii visitationem vel non fuit

revocata, vel si dicatur eam fuisse retractatam, ipsa illico revixit et virtualiter perseveravit. Sane voluntatem conditionatam non cessasse apparet primo ex testimonio doctoris Licinii, de quo infra. Neleus post Vertumnii inspectionem visus fuit aliquantisper conquiescere, ut ex ipsius sponsae testimonio liquet: « Il le lut et constatant, que le certificat attestait aussi mon immunité, il le déchira immédiatement en disant: « Tout est bien, puisque il n'y a rien ». Haec Nelei expressio non voluntatis mutationem: « puisque il n'y a rien », dum e contra de facto morbus aderat. Voluntatis mutatio adfuisset, si data contraria medici attestatione, ea non obstante, Neleus matrimonium iniisset ». N. 11: « At etiamsi paulisper admittatur, vel etiam placeat hanc animi acquiescentiam et verba expressa importare voluntatis mutationem, nihil tamen in casu prodesse potest? quia animi acquiescentia temporanea et brevis fuit, et voluntas conditionata iterum excitata fuit et virtualiter usque ad matrimonii celebrationem permansit. Subito anxietates quae videbantur sopitae, exortae sunt: hasque fugare incassum doctor Licinius curavit ».

N. 12: « Eadem voluntatis perseverantia et haesitationes ante matrimonii celebrationem roborantur etiam ex his, quae enarrant testes Niveus et B. »

De revocatione condicionis loquuntur sequentes numeri: n. 13 ita sonat « Insuper cum in themate constet de voluntate Nelei conditionata, uti superius visum fuit, haec non praesumitur mutata vel revocata, quoadusque id ex adverso non demonstretur, uti docet Pitonius, Discep. eccles., 52 et lege ipsa cautum est « quod quisque semel voluit aut noluit illud semper deinceps velle aut nolle intelligitur, quamdiu non retractavit voluntatem, et qui ait mutatam fuisse voluntatem, docere id debet, secus contrarium praesumitur. Quia voluntas semper censetur durare, quoadusque de mutatione non appareat. S. Rota, dec. 219 coram Mohedano et confirmat D'Annibale, *Sum. Theol. Mor.* v. 1 § 133. In praesenti autem controversia positivis argumentis probari nequit Neleum conditionatam voluntatem retractasse. Ergo praesumptio pro eius perdurationе militat ».

N. 14 autem habetur nova instantia D. V. sub hoc tenore: « Defensor vinculi ad probandum conditionem appositam fuisse revocatam et hinc consensum evasisse absolutum appellat ad illa verba primae depositionis actoris: « C'est ainsi, que j'ai été rassuré, que j'ai été conduit à me marier quand même », et praesertim ex postremis verbis arguit recessionem a conditione exhibens

explanationem datam ab appellata sententia idest « non obstante timore morbi, non obstante proposito non ducendi Panopem si eo morbo afficeretur ».

Defensor Vinculi in favorem suum Causam Romanam Nullitatis Matrimonii tractatam ab ipso Auditore Mori sub initio a. 1911 invocat. Mori negat paritatem inter utramque Causam in nn. 15 - 18 et concludit n. 18: « Igitur sive antecedentia, sive concomitantia, sive consequentia matrimonium inspiciantur, de apposita uti supra eius celebrationi conditione dubitari nequit; proindeque, cum haec defecerit, matrimonium ut nullum est renunciandum, uti in appellata sententia secundi turni fuit declaratum ».

In nn. 19 et sequentibus Turnus disserit de condicione contractui matrimoniali apposita et tenet doctrinam, quae tamen post Codicem non amplius per totum tenetur; sed verum est, quod dicitur n. 19: « Bene tamen advertit Card. Gasparri, *De matr.* n. 1022: Quamdiu vero ignoratur, utrum condicio extet necne, nefas est rei matrimoniali operam dare, quia periculo fornicationis coniuges sese exponerent ».

In nn. 24 et 25 est sermo de intentione contrahentis et in n. 26 S. R. R. hanc profert Sententiam: « His innixi principiis R.mi Patres iure merito retinuerunt in casu, Nelei pluries expressam voluntatem non ducendi Panopem nisi immunem a morbo ozaenae, post primam erroneam consultationem medici Vertumnii non fuisse mutatam, sed potius virtualiter perseverasse usque ad matrimonii celebrationem. Id tum a statu animi Nelei, tum ab eius expressionibus persaepe manifestatis post dictam inspectionem, apprime resultat ».

In n. 27 solvitur haec difficultas: « Neque uti superius alias observatum est, diversa foret conclusio, si paulisper admittatur, voluntatem Nelei ex cognita facta inspectione a Doctore Vertumnio fuisse mutatam circa iam appositam conditionem; prouti ex adverso praetenditur. Haec siquidem mutatio vel rectractatio in hypothesi fuisset per brevissimum tempus; nam Neleus perpendens gravissimas consequentias ex morbo derivantes et dubiis pressus condicionem iam appositam illico iteravit expressis verbis, non obstante contraria opinione medici in peritia prodita ».

Tandem ultima difficultas solvitur in n. 28 huius tenoris: « Neque demum R.mis Patribus visa est facessere negotium censura mota a vinculi defensore contra iudices appellatae sententiae, quod illi scilicet fundaverint suam sententiam in declaratione

actoris in iudicio emissa affirmantis, se tantum mentaliter conditionem concepisse in actu celebrationis matrimonii, proindeque eum nihil operatum fuisse. Hoc siquidem nihil ponit in esse: certe actor propositam in mente conditionem in actu matrimonii exprimere non valebat, quia celebratio matrimonii sub hisce clausulis erat interdicta. Actor itaque aiendo: « Cette condition est restée dans mon intime », intendit declarare se etiam in actu matrimonii perseverasse in voluntate iam alias expressa; proindeque alii iudicis interrogationi: « Avez-vous posé la condition avant le mariage? » Ipse respondit: « J'ai formulé, j'ai même exprimé au dehors ma volonté bien determinée de n'épouser Mademoiselle qu'a la condition ».

Post has expositiones tam instructivas non est mirandum de conclusione: « Sententiam de 11 VIII. 1910 esse confirmandam; ipsa facta est exsecutiva. Praeses Conventus interrogat praesentes: « quid vobis videtur? » Omnes responderunt: constat de nullitate matrimonii ab Alma cum Magno contracti.

D. G. Oesterle O. S. B.

DE CANONIZATIONE AEQUIPOLLENTI

In Codice iur. can. legislator ecclesiasticus nullum praescriptum pro canonizatione aequipollenti attulit. Praescripsit quidem normas pro beatificatione aequipollenti, pro casu nempe quo agitur de processu beatificationis Servorum Dei per viam extraordinariam cultus seu casus excepti (can. 2125-2135). Sed canonizationis aequipollentis ne mentionem quidem fecit.

Nihilominus dicendum est, canonizationem aequipollentem, sicut iam ante Codicem exstiterat, ita etiam post Codicem exsistere tam apud doctores quam in praxi Ecclesiae. Immo etiam in Codice de eadem sermo implicitus habetur.

Art. 1. - *Notae historicae canonizationis aequipollentis.*

Prima canonizatio formalis seu sollemnis, a Romano Pontifice facta evenit an. 993. Tunc enim Ioannes XV in concilio Romano Sanctum declaravit Uldaricum, episcopum Augustae (Augsburg) in Rhetia, mortuum an. 973, per const. « Cum conventus » d. 3. febr. 993. Antea in usu erat potius canonizatio aequipollens, ab episcopis facta.

Sancti, qui primi venerabantur erant martyres. Episcopus examinabat et approbabat acta eorum. Haec approbatio vocabatur « Vindicatio Martyrum ». Inde etiam distinctio inter martyres vindicatos et non vindicatos. Notus est enim casus matronae Lucillae, quae, Cartagine, ante communionem, reliquias cuiusdam martyris non vindicati osculari ausa est. Nomina martyrum vindicatorum ab una ecclesia transmittebantur ad aliam, praesertim Romanam. Ita cultus eorum ex una ecclesia extendebatur ad aliam. Tali modo exorta est canonizatio aequipollens late sumpta.

Haec approbatio episcoporum vocatur canonizatio particularis. Rectius tamen hodierno sensu dicenda est beatificatio.

Alexander III (1159-1181) ius beatificationis et canonizationis an. 1170 Romano Pontifici reservavit [1]. Quia tamen reservatio eius omnino clara non fuit, Urbanus VIII decreto d. 13. martii 1625, et multo magis decreto « *Caelestis Hierusalem* » d. 5. iulii 1634 eam melius determinavit. Ipse prohibuit cultum publicum Servo-

[1] c. 1, X, III *de reliquiis et veneratione Sanctorum*, 45: « Illum ergo hominem non praesumatis de cetero colere, quum, etiamsi per eum miracula (plurima) fierent, non liceret vobis pro sancto absque auctoritate Romanae ecclesiae (publice) venerari ».

rum Dei, qui Beati vel Sancti a Sede Apostolica declarati non sint. Excepit tamen illos qui 100 annos ante istud tempus cultu publico ex tolerantia gavisi sunt. Post Urbanum VIII, ut mox videbimus, diversi Summi Pontifices, sicut etiam ante ipsum, canonizatione aequipollenti non paucos Beatos in catalogum Sanctorum retulerunt [2].

Art. 2. - *Canonizatio aequipollens ante Codicem.*

De canonizatione aequipollenti sub veteri iure seu ante promulgationem Codicis iur. can. disputabant tum theologi tum canonistae.

Theologi de eadem agebant imprimis, quando tractabant de infallibilitate Romani Pontificis. Tunc enim inquirere solebant, utrum Rom. Pontifex infallibilis sit non tantum in casibus canonizationis formalis seu sollemnis, verum etiam in casibus canonizationis aequipollentis. Sententia communior erat, ipsum infallibilem esse in canonizatione formali tantum.

Quidquid sit de hac sententia — quia non pauci doctores affirmant, Summum Pontificem errare non posse non tantum in canonizatione, verum etiam in beatificatione Servorum Dei [3], et

---

[2] Benedictus XIV, *De Servorum Dei beatificatione*, L. I, c. 2 ss.; Bartmann Dr B., *Lehrbuch der Dogmatik*, 1. B., 3. Aufl., Freiburg i. Br. 1917, 39; Schwane Dr J., *Dogmengeschichte der mittleren Zeit*, III. B., Freiburg i. Br. 1882, 483, 544; Mirbt Dr C., *Quellen zur Geschichte des Papstums und des römischen Katolizismus*, 4. Aufl. Tübingen 1924, 133 sq.; Pesch Chr., S. I., *Praelectiones dogmaticae*, T. I, ed 6 et 7, Friburgi Br. 1924, n. 548, p. 388; Straubinger Dr H., *Lehrbuch der Fundamentaltheologie*, Paderborn 1936, 242; Aigrain R, *Ecclesia*, Paris 1948, 326, 997; Bartmann-Gautier, *Précis de théologie dogmatique*, T. I, 7. e. Mulhouse — Paris 1951, 58 sqq.; Ploechl W. M., *Geschicte des Kirchenrechts*, B. 1, Wien — München 1953, 371; Bd 2, 1955, 321; Capello P. F., S. I., *Summa iuris canonici*, Vol. III, ed. 3, Romae 1948, n. 535, p. 360; Eichmann-Moersdorf, *Lehrbuch des Kirchenrechts auf Grund des Cod. Iur. Can.*, III. Bd., 17 Aufl., Paderborn 1954, 253; Sipos-Galos, *Enchiridion iuris canonici*, ed. 6, Romae 1954, 591; Coronata P. M., OMCap, *Instit. iur. can.*, Vol. II, ed. 4, Taurini — Romae 1951, n. 857, p. 186 sq.; Vol. III, ed. 3, n. 1510, p. 454; Vermeersch - Creusen, *Epitome iuris canonici* T. II, ed. 7, Parisiis — Bruxellis 1954, n. 602, p. 425 sq.; Roux D. J., OSB, *Beatificazione*, in *Dizionario pratico di Liturgia Romana*, Roma 1956, 70; Pugliese SDB, *Beatificazione e canonizzazione, Cenni storici*, in *Dizionario di teologia morale*, ed. 2. Roma 1957, 161.

[3] Ferraris P. L., OFM, *Prompta bibliotheca canonica, juridica, moralis, theologica*, T. IX, Venetiis 1782, v. Veneratio Sanctorum, n. 15, p. 148: « Hinc plurimi Classici Doctores tenent, quod sit de fide, quod Papa non possit errare, non solum in canonizatione, sed etiam in beatificatione ». — Similiter

nostra opinione, de qua postea, distinctio inter canonizationem et beatificationem non est essentialis, sed accidentalis tantum [4] – hic modus disputandi monstrat, canonizationem non tantum formalem, verum etiam aequipollentem ante Codicem exstitisse, theologosque bene inter utramque distinxisse.

De canonizatione aequipollenti agebant etiam canonistae, imprimis quando tractabant de potestate Summi Pontificis, necnon de veneratione Sanctorum seu de cultu publico eisdem exhibendo.

Inter omnes theologos et canonistas eminet Summus Pontifex Benedictus XIV. Ipse iam ante electionem in Summum Pontificem, scripsit eximium opus: *De Servorum Dei beatificatione et Beatorum canonizatione*. In isto opere in pluribus locis loquitur de canonizatione aequipollenti, praesertim vero in Libro I, cap. 41, ubi 11 exempla Sanctorum aequipollenter canonizatorum affert fusiusque describit. Isti Sancti sunt: S. Romualdus, conf., fundator Camaldulensium 1027; S. Norbertus, conf., fundator Praemonstratensium et archiepiscopus Magdeburgensis † 1134; S. Bruno, conf., fundator Carthusianorum † 1101; S. Petrus Nolasco, conf., fundator Ord. B. M. V. de Mercede † 1256; S. Raymundus Nonnatus, conf. eiusdem Ordinis † 1240; SS. Ioannes de Matha † 1212, et Felix de Valois † 1213, conff., fundatores Ord. SS. Trinitatis Redemptionis captivorum; S. Margarita, vidua, Scotorum regina † 1093; S. Stephanus, conf., rex Hungarorum † 1038; S. Wenceslaus, dux Bohemiae, martyr † 929; S. Gregorius Papa VII, conf. † 1085; S. Gertrudis Islebiensis, virgo O. S. B., ex saec. XII (incertus annus mortis) [5].

Similiter ac Benedictus XIV de canonizatione aequipollenti alii quoque auctores scripserunt, afferentes eadem vel alia exempla Sanctorum aequipollenter canonizatorum. Praeter nominatos, aequipollenter canonizati sunt: S. Timotheus, S. Titus, S. Ignatius Antiochenus, S. Policarpus, SS. Joachim et Anna, genitores B. M. Virginis, S. Joseph, eius sponsus, S. Antonius Abbas, S. Paulus Eremita, S. Leo I Papa, S. Damasus Papa, S. Gregorius I Papa, S. Hilarius, S. Cyrillus Alexandrinus, S. Blasius, S. Agatha, S. Ioan-

---

Minges P. P., OFM, *Compendium theol. dogm. gen.*, T. III, ed. 2, Ratisbonae 1923, n. 388, p. 257: « Multi theologi hanc infallibilitatem extendunt etiam ad beatificationem; esset enim secundum eos contra sanctitatem cultus divini, si ecclesia venerationem alicuius hominis praescriberet vel saltem permitteret, qui non esset in caelo apud Deum ».

[4] Idem Ferraris, *Prompta bibliotheca*, l. c., n. 11, p. 147: « Beatificatio et Canonizatio non differunt essentialiter, sed solum accidentaliter ».

[5] Benedictus XIV, *De Servorum Dei beatificatione*, L. I, c. 41, §§ 1-11, pp. 171 - 190.

nes Damascenus, S. Dorothea, S. Apollonia, S. Anselmus, S. Beda Venerabilis, S. Augustinus Cantuariensis, SS. Cyrillus et Methodius, et alii plurimi [6].

Inter auctores, qui post Benedictum XIV de canonizatione aequipollenti scripserunt, primum locum obtinet Battandier. Ipse de eadem tracta in « *Annuaire Pontifical Catholique* » 1903, ubi affert non tantum supra dicta, verum etiam alia plurima exempla Sanctorum aequipollenter canonizatorum. In eodem Annuario an. 1900 scripsit summarium de processu beatificationis et canonizationis (pp. 506 ss.). Anno autem 1903 sub titulo « Comment l'Eglise fait un Saint », fusius rem pertractat sub aspectu historico et practico. Theoria canonica et praxis ecclesiastica ab eo explicita, decreto S.R.C. « *Cum in agendis* » d. 11. nov. 1912 aliqualiter immutata est [7]. Eius tamen disquisitio valde utilis est praesertim quoad canonizationem aequipollentem.

Dato conspectu historico de evolutione processus beatificationis et canonizationis, Battandier exponit principia canonica suo tempore vigentia, afferendo elenchum canonizationum formalium a saec. X. usque ad saec. XIX, i. e. usque ad Leonem XIII, inclusive. Deinde agit de canonizatione aequipollenti, afferendo similiter elenchum Sanctorum aequipollenter canonizatorum. Hunc elenchum fecit secundum ordinem Calendarii Romani, assignans singulis diebus respectivos Sanctos, quorum festum illo die celebratur. Numerus Sanctorum aequipollenter canonizatorum in suo catalogo excedit numerum 250. Maximum numerum aequipollenter canonizavit S. Pius V, per insertionem in Breviarium Romanum a. 1568, et per impositionem eiusdem Ecclesiae universae [8]. Praeter S. Pium V alii quoque Summi Pontifices non paucos Sanctos decreto aequipollenter canonizarunt. Isti sunt; Bonifacius VIII (1294-1303), Sixtus IV (1471-1484), Gregorius XIII (1572-1585), Sixtus V (1585-1590), Clemens VIII (1592-1605), Gregorius XV (1621-1623), Urbanus VIII (1623-1644), Innocentius X (1644-1655), Clemens X (1670-1676), Innocentius VI (1676-1689), Alexander VIII (1689-1691), Innocentius XII (1691-1700), Innocentius XIII (1721-1724), Benedictus XIII

---

[6] *Annuario Pontifical Catholique* 1903, 421 ss.; Grivec F., *Cerkev*, 2. ed. Ljubljana 1943, n. 236, p. 369.

[7] *Acta Ap. Sedis* 1912, 705 sq.

[8] « Il est clair que tous les saints qui se trouveront dans le calendrier de ce Pape, par le fait, même que ce breviaire est imposé a l'Église universelle, ont été, au moins alors, canonisés d'une manière equipollente ». *Annuaire Pontifical* 1903, 420.

(1724-1730), Clemens XII (1730-1740), Pius VI (1775-1799), Pius IX (1846-1878), et Leo XIII (1878-1903) [9].

Art. 3. - *Canonizati oaequipollens post Codicem.*

Eodem modo sicut ante promulgationem Codicis, theologi et canonistae de canonizatione aequipollenti tractant post promulgationem Codicis, agendo nempe de eadem sive accidentaliter sive expresse, disputando scilicet de potestate et infallibilitate Romani Pontificis, de veneratione Sanctorum vel de ipsa canonizatione.

Non aestimamus necessarium huic rei longius inhaerere, quia quisque rem apud auctores videre potest [10]. Sufficiat autem citare litteras decretales Pii XI « *In thesauris Ecclesiae* » d. 16. dec. 1931, quibus S. Albertum Magnum, OP, episcopum et confessorem aequipollenter canonizavit. Pius XI ibi dicit:

« Quibus omnibus mature perpensis, quo Magnus hic Albertus iure meritoque Sancti appellatione honoribusque ab omnibus christifidelibus magis magisque colatur, idemque veluti lucerna super candelabrum posita, in universa Ecclesia clariore luce elucescat, ac ita illud suppleremus quod ad eiusdem Alberti gloriam deesse videretur, desiderium quoque nostrum in dies succrescens, per *aequipollentem canonizationem,* tandem explendum duximus. Cum igitur ad tantum eventum tempora nostra satis matura videantur, cumque in hoc negotio omnes conditiones reperiantur ab antiquissimo Ecclesiae usu ac iure in similibus adiunctis requisitae, specialem normam viamque adhibere decrevimus, quam plures Praedecessores Nostri iam pro aliorum Servorum Dei canonizatione nonnumquam adhibendam censuerunt » [11].

---

[9] *Annuaire Pontifical* 1903, 421-425; cfr. etiam Richtstatter, *Die Heiligen des letzten Jahrtausendes,* in *Stimmen der Zeit* 1926, 81 ss.

[10] Ortolan, *Canonisation dans l'Eglise Romaine,* in *Dictionnaire de Theologie catholique,* T. VI, ed. 2, Paris 1923, col. 1636 ss.; Autustine P. C., OSB, A, *Commentary on the New Code of Canon Law,* ed. 2, St. Louis-London 1923, 238.; Lercher-Schlagenhaufen, *Institutiones theol. dogm.,* Vol. I, ed. 3, Oeniponte-Lipsiae 1939, n. 511, p. 305; Van Noort-Verhaar, *Tractatus de Ecclesia Christi,* ed. 5, *Hilversum* in Hollandia 1932, n. 95., p. 108; Berutti P. C., OP. *Institutiones iur. can.,* Vol. IV, Taurini - Romae 1940, 271; Vermeersch-Creusen, *Epitome iur, can.,* III, ed. 3, Mechliniae-Romae 1946, nr. 304, p. 165; Tanquerey-Bord, *Synopsis theol. dogm. fund.,* ed.26, Romae 1949, nr. 930, p. 624; Brinktrine Dr J., *Offenbarung u. Kirche,* II, B., Paderborn 1949, 316; Coronata P. M., OMCap, *Inst iur. can.,* Tom II, ed. 4, Taurini-Romae 1951, nr. 857; Haring Dr J., *Grundzüge des Kirchenrechtes,* 3. Aufl. Graz 1924, 597; Jone P. H., OMCap, *Gesetzbuch der lateinischen Kirche,* III, B., 2. Aufl. Paderborn 1953, ad can. 2000 § 2, et can. 2141.

[11] *Acta Ap. Sedis* 1932, 15.

Quando agebatur de canonizatione BB. Ioannis Fisher et Thomae More, Martyrum, tempore eiusdem Pii XI, cardinalis Bourne aliique archipraesules Angliae, propter defectum miraculorum, petierunt canonizationem eorum aequipollentem. Promotor generalis fidei, Salvator Natucci, de re interrogatus, comparando casum eorum cum casu SS. Ioannis de Matha et Felicis de Valois, confessorum, sententiam tulit, si SS. Ioannes de Matha et Felix de Valois aequipollenter canonizati sunt, eodem iure, si Sanctissimo placuerit, etiam BB. Ioannem Fisher et Thomam More aequipollenter canonizari posse [12]. Nihilominus Pius XI, ut inferius videbimus, non aequipollenter, sed formaliter, non obstante defectu miraculorum, utrumque canonizavit.

Similiter per canonizationem aequipollentem Summus Pontifex feliciter regnans, Pius XII, litteris decretalibus « *Maxima inter munera* » d. 19. nov. 1943, catalogo Sanctorum adnumeravit S. Margaritam, filiam Belae IV, Hungarorum regis, monialem Ord. S. Dominici [13].

Manifestum est ergo, canonizationem aequipollentem in doctrina theologorum et canonistarum, necnon in usu et praxi Ecclesiae etiam post Codicem adesse.

Art. 4. *Canonizatio aequipollens in Codice.*

Etsi Codex non faciat expressam mentionem canonizationis aequipollentis, dicendum tamen est, ipsum nihilominus implicite de eadem loqui.

Id patet ex sequentibus.

Can. 6 n. 6 dicit: « Si qua ex ceteris disciplinaribus legibus, quae usque adhuc viguerunt, nec explicite nec implicite in Codice contineatur, ea vim omnem amississe dicenda est, nisi in probatis liturgicis libris reperiatur, aut lex sit iuris divini sive positivi sive naturalis ».

Iam vero leges quae respiciunt beatificationem Servorum Dei et canonizationem Beatorum non sunt leges mere disciplinares, sed potius ad ius divinum positivum referuntur. Ipsae enim respiciunt fidem et mores, quia per eas Servus Dei indirecte declaratur tamquam civis regni caelestis, cum Christo in caelis regnans, aliisque fidelibus imitandus proponitur. Beatificatio et canonizatio pertinent ad obiecta infallibilitatis Summi Pontificis. Proinde, etsi

---

[12] *Canonizat.* BB. Mart. *Ioann. Fisher et Thomae More,* Romae 1934, Disquisitio, p. 15 (propria impaginatio).

[13] *Acta Ap. Sedis* 1944, 33-40.

de quibusdam legibus respectu ad beatificationem et canonizationem in Codice sermo non sit — et multo plures desunt quam adsunt — nihilominus ipsae vim suam conservarunt, et quidem vi ipsius Codicis, nisi aliqua expresse abolita aut immutata sit.

Dato autem non concesso, per Codicem leges beatificationis et canonizationis non esse conservatas, nemo tamen dicet, canonizationem aequipollentem per Codicem abolitam esse. Canonizatio aequipollens, ut postea videbimus, vim suam obtinet a suprema potestate. Rom. Pontifex, Beati Petri in primatu successor, iuxta can. 218 § 1, habet non solum primatum honoris, sed supremam et plenam potestatem iurisdictionis in universam Ecclesiam tum in rebus quae ad fidem et mores tum in iis quae ad disciplinam et regimen Ecclesiae per totum orbem diffusae pertinent. Haec suprema et plena potestas, quam Rom. Pontifex, iuxta can. 219, legitime electus, statim ab acceptata electione iure divino obtinet, nulla humana potestate auferri aut coarctari potest. Nec ipse Rom. Pontifex istam potestatem sive pro se sive pro suis successoribus auferre aut coarctare potest. Omnia enim negotia gravioris momenti, quae « causae maiores » vocantur, secundum can. 220, sive natura sua sive positiva lege Romano Pontifici actuali reservantur. Talia negotia sunt etiam beatificatio et canonizatio, quae non tantum natura sua, verum etiam positiva lege can. 1999 § 1, Romano Pontifici reservantur.

Proinde dicendum est, leges quae beatificationem et canonizationem respiciunt, praesertim vero illas canonizationis aequipollentis, quae, ut inferius dicemus, speciali modo a beneplacito Romani Pontificis pendent, vim suam etiam ex praescripto Codicis retinent.

Insuper canones quoque qui de beatificatione et canonizatione expresse agunt, implicite de canonizatione aequipollenti loquuntur. Can. 1999 § 1 statuit: « Causae beatificationis Servorum Dei et canonizationis Beatorum unius Sanctae Sedis iudicio reservantur ». Can. 2000 § 1 vero dicit: « Causae huiusmodi duplici possunt procedere via, scilicet via ordinaria non cultus vel extraordinaria casus excepti seu cultus ». — Imprimis, nemo dicet, verba can. 2000 § 1: « Causae huiusmodi duplici possunt procedere via », quae immediate sequuntur post can. 1999 § 1, non referri tum ad causas beatificationis tum ad causas canonizationis. Per consequens, sicut causae beatificationis, ita et causae canonizationis procedere possunt non tantum via ordinaria, verum etiam via extraordinaria. De via extraordinaria beatificationis Codex loquitur expresse can. 2125-2135; de canonizatione autem extraordinaria seu aequipollenti non loquitur expresse, nec eius mentionem facit.

In canonibus 2136-2141, ubi agitur de canonizatione Beatorum, sermo est, etsi brevis, de canonizatione sollemni seu formali tantum. Agitur nempe ibi de miraculis necessariis, eorumque examine, necnon de ritibus et sollemnitatibus quibus canonizatio formalis peragitur. Canonizationis vero aequipollentis nulla mentio fit. Nostra opinione, omissio ista facta est consulto, quia canonizatio aequipollens absolute a beneplacito Rom. Pontificis pendet. Pro canonizatione aequipollenti ex una parte non requiruntur miracula, proinde non erat necessarium de iis loqui; ex altera parte, ipsa ordinarie peragitur decreto Romani Pontificis, sine ulla sollemnitate in Urbe. Aliquando autem evenit etiam sollemniter, sed sine examine miraculorum. Ergo totum a beneplacito Rom. Pontificis pendet. Propterea legislator, nostra opinione, opportunum iudicavit de hac re nihil statuere.

Per consequens, etiam hodie plenam vim retinent verba Benedicti XIV, nihil vetare, quominus « Summus Pontifex aliquem Servum Dei in antiqua cultus possessione existentem jubeat in universa Ecclesia coli per officii et Missae celebrationem, determinato aliquo die, nulla accedente formali sententia definitiva, nullis praemissis judicialibus processibus, nullis consuetis caeremoniis adhibitis » [14]. Aliis verbis, nihil vetat, quominus Summus Pontifex etiam post promulgationem Codicis aliquem Servum Dei, per canonizationem aequipollentem Sanctorum catalogo adscribat. Rom. Pontifex id facere potest non solum per se loquendo, verum etiam ex spiritu et verbis ipsius Codicis.

Art. 5. - *Notio canonizationis aequipollentis.*

Notio canonizationis aequipollentis iam aliqualiter nobis nota est. Non pauci tamen auctores nullam notionem aut definitionem eiusdem dant, sed eam supponunt.

Benedictus XIV canonizationem aequipollentem potius describit. Secundum ipsum canonizatio aequipollens est illa, « per quam summus Pontifex aliquem Servum Dei in antiqua cultus possessione existentem, et de cuius heroicis virtutibus, aut Martyrio, et miraculis constans est Historicorum fide dignorum communis assertio, et continuata prodigiorum fama non deficit, jubet in universa Ecclesia coli per Officii et Missae recitationem et celebra-

---

[14] Benedictus XIV, *De Servorum Dei beatificatione*, L. I, c. 41, n. 1, p. 171. Similiter Haring, *Grundzüge*, 597: « Wie bei der Beatifikation, so ist es auch bei der Kanonisation möglich, dass der Papst unter Hinweisung der Formalitäten auf Grund anderer Zeugnisse den bisher dem Seligen erwiesenen Kult bestätigt und auf die ganze Kirche ausdehnt ».

tionem determinato aliquo die, nulla accedente formali sententia definitiva, nullis praemissis judicialibus processibus, nullisque consuetis caeremoniis adhibitis » [15].

Hanc notionem canonizationis aequipollentis non pauci auctores repetunt.

Vermeersch-Creusen distinguunt sicut alii, canonizationem aeque ac beatificationem in formalem et aequipollentem. Formalis beatificatio vel canonizatio, secundum ipsos, ea est, quae illis Servis Dei conceditur quibus constat nullum cultum publicum fuisse praestitum vel adhuc praestari, et decernitur via ordinaria seu non cultus; aequipollens autem est sollemnis confirmatio immemorabilis cultus Servo Dei ante an. 1634 praestiti, et decernitur per viam casus excepti [16]. Haec designatio beatificationis vel canonizationis formalis et aequipollentis potius soli beatificationi formali et aequipollenti competit, non autem canonizationi: quod ex infra dicendis clarius patebit.

Tanquerey-Bord canonizationem designant tamquam ultimam sententiam definitivam, qua Rom. Pontifex Beatum aliquem inter caelites receptum, ideoque ab omnibus fidelibus colendum declarat. Declaratio haec dicitur formalis, si cum canonicis formalitatibus pronuntiatur; aequipollens, si absque processu regulari, ob immemorialem cultum alicui Servo Dei exhibitum, Rom. Pontifex agnoscit hunc Servum Dei ut Sanctum in tota Ecclesia colendum [17]

Ortolan affirmat, canonizationem aequipollentem esse sententiam, qua Summus Pontifex praecipit universae Ecclesiae venerationem tanquam Sancti alicuius Servi Dei, pro quo non erat institutus processus ordinarius, sed qui ab immemorabili in possessione cultus publici invenitur [18].

Battandier, a quo Ortolan pendet, enumeratis conditionibus a Benedicto XIV pro canonizatione aequipollenti suppositis, dicit talem canonizationem adesse, quando Summus Pontifex, enuntians istas conditiones in casu aliquo impletas esse, sine processu ordinario, sine sententia formali aliisque caeremoniis, decreto cultum Servi Dei ad totam Ecclesiam extendit. Canonizatio enim aequi-

---

[15] Benedictus XIV, *De Servorum Dei beatificatione*, L. I, c. 41, n. 1.

[16] Vermeesch-Creusen, *Eptitome*, III, n. 301, p. 165.

[17] Tanquerey-Bord, *Synopsis theol. dogm. fund.*, III, n. 930.

[18] « La canonisation equipollente est une sentence par laquelle le souverain pontife ordonne d'honorer comme saint, dans l'Eglise universelle, un serviteur de Dieu pour lequel n'as pas été introduit un procès régulier, mais qui, depuis un temps immémorial, se trouve en possession d'un culte public », Ortolan, *La canonisation*, 1. c. col. 1636.

pollens stat in extensione cultus Servi Dei ad totam Ecclesiam. Vocatur autem aequipollens, quia aequivalet canonizationi formali seu sollemni, quae fit post processum ordinarium, per sententiam formalem, servatis specialibus caeremoniis [19].

Tauber rem breviter, sed pulchre explicat: « Canonizatio est, dicit ipse, aut formalis, si omnes solemnitates observantur; aut aequipollens, si omissis solemnitatibus Rom. Pontifex iubet aliquem ut sanctum venerari » [20].

Similiter Christianus Pesch, explicans, canonizationem aequipollentem in eo consistere, quod aliquis sine formali canonizatione in universa Ecclesia ut Sanctus colitur [21].

Notionem canonizationis aequipollentis formare possumus per analogiam ad beatificationem aequipollentem. Beatificatio formalis tunc fit, quando Servo Dei cultus nondum exhibetur, processus autem instituitur, ut cultus ei exhiberi possit; aequipollens autem beatificatio tunc fit, quando cultus Servo Dei iam praestatur, et a. S. Sede petitur et obtinetur confirmatio et approbatio eiusdem. Similiter canonizatio formalis tunc fit, quando instituitur processus iure praescriptus, ut cultus Servi Dei iam beatificati, formaliter et sollemniter ad universam Ecclesiam extendatur; canonizatio autem aequipollens tunc habetur, quando idem cultus per decretum Summi Pontificis, non servatis praescriptis pro canonizatione formali seu sollemni requisitis, ad universam Ecclesiam extenditur.

Non pauci auctores, praesertim antiquiores, affirmant, distinctionem inter canonizationem et beatificationem consistere praecipue in hoc, quod in beatificatione cultus Servi Dei permittitur, in canonizatione autem praecipitur.

Haec affirmatio non potest esse recta, quia adsunt casus, prout observat Benedictus XIV, in quibus etiam pro Beatis cultus praecipitur [22]. Insuper can. 1277 § 2 loquitur non de obligatione, sed de possibilitate seu licentia colendi Sanctos. Dicit enim ex-

---

[19] « Le Souverain Pontife, constatant les faits ci-dessus énumérés sans prononcer une sentence formelle, sans instruire un procès régulier, sans cérémonie spéciale, étend le culte du serviteur de Dieu à toute l'Eglise. C'est dans cette extension à toute l'Eglise du culte d'un saint que reside la canonisation équipollente, et on l'appelle équipollente, parce que cet acte pontifical a le même effet que l'acte de la canonisation solennelle ». *Annuaire Pontifical*, 1903, 420.

[20] Tauber A., *Manuale iur. can.*, Tom. I, ed. 4, Sabariae i. Hungaria 1912, 241, not. 4.

[21] Pesch, *Praelectiones dogmaticae*, I, n. 548.

[22] Benedictus XIV, *De Servorum Dei beatificatione*, L, I, c .39, n. 8, p. 166.

presse: « Sancti coli *possunt* ubique et quovis actu eius generis (duliae) cultus: Beati *non possunt* nisi loco et modo... ». Ut Servus Dei albo Sanctorum adscriptus cultu publico ecclesiastico, i. e. officio et missa coli debeat, accedere necesse est speciale praescriptum S. Sedis. Plurimi enim Sancti sunt, in album Sanctorum relati, qui tamen officio et missa in universa Ecclesia carent. Sufficit inspicere Martyrologium Romanum. Quolibet die ibi leguntur nomina non paucorum Sanctorum martyrum, confessorum et virginum, et tamen vix unius alteriusve, non raro nullius ex ipsis officium recitatur vel missa celebratur, Praeceptum seu mandatum Summi Pontificis intelligendum est de aestimatione, qua Servus Dei habendus est ut amicus Dei, civis regni caelestis, dignus cultu publico ecclesiastico, nec ulli id negare licet. Cultus autem ei de facto praestatur, si Summus Pontifex festum eius instituat.

Idem dicunt alii quoque auctores post Benedictum XIV [23]. Ita Pesch: « Praeceptum non intelligitur, quod universa ecclesia obligetur ad officium et missam de Sancto dicendam, quia non omnes Sancti canonizati habent officium praescriptum pro universa ecclesia, sed praeceptum in eo est quod omnes fideles obligentur ad illum indubitanter pro Sancto habendum, i. e. pro tali qui publico cultu dignus est » [24]. Similiter Coronata, Brinktrine, Jone, Dieckmann, aliique [25].

---

[23] « Idcirco ultima differentia inter beatificationem et canonizationem minime quidem constituenda erit vel in permissione cultus vel in eius coarctatione ad personas aut locos particulares, quae in beatificatione habeatur secus ac in canonizatione, sed in extrema et definitiva de sanctitate sententia, cultum aliis sanctis debitum in universa ecclesia per canonizationem, nequaquam vero per beatificationem praecipiente ». *De Servorum Dei beatificatione*, I, c. 39, n. 14, p. 168.

[24] Pesch, *Praelectiones dogmaticae*, I, n. 548, p. 388.

[25] Coronata, *Institutiones iur. can., II*, p. 188, not. 3: « Ex hoc autem quod Sancti coli debent ubique falso deduxeris ubique, ab omnibus eorum officium et Missam celebrari debere, ad hoc enim speciale decretum requiritur ». — Brinktrine, *Offenbarung u, Kirche*, II, 317: « Wenn der Papst bei der Kanonisation erklärt, der betreffende Heilige sei von allen Glaübigen zu verehren, so fordert er damit von ihnen, dass man den Kanonisierten wenigstens für heilig u. der öffentlichen Verehrung für würdig halte ». — Jone, *Gesetzbuch*, II, ad can. 1277 § 2: « Der Ausdruck « können » ist in diesem Zusammenhang su aufzufassen, dass es nicht Pflicht ist, die Heiligen auf der ganzen Erde in allen *Formen* des cultus duliae, z. B. durch Darbringung des hl. Messopfers su verehren ». Dagenen bedeutet dieser Ausdruck nicht, es stehe jedem frei, ob er die in das Verzeichnis der Heiligen Aufgenommenen auch wirklich für heilig halten wolle oder nicht ». Dieckmann H., S. I., *De Ecclesia*, T. II.

Ex his sequitur, essentialem differentiam inter canonizationem formalem et aequipollentem non amplius consistere, sicut olim opinabatur, in sententia formali seu definitiva de sanctitate vel possessione regni caelestis ex parte Servi Dei; sed in maiori minorive sollemnitate, qua utraeque canonizatio perficitur. Utraque canonizatio fit per decretum seu per litteras decretales Summi Pontificis, quibus Servus Dei sanctis caelitibus adnumeratur. In utraque idem effectus producitur: Servus Dei dignus honorum caelitibus debitorum declaratur. In canonizatione formali id fit post examen duorum vel trium miraculorum; ut certitudo obtineatur de sanctitate Servi Dei eiusque aeternae beatitudinis possessione; in canonizatione aequipollenti sine examine miraculorum, quia talis certitudo aliunde acquisita est. Postremo, canonizatio formalis peragitur cum magna sollemnitate externa, quae in canonizatione aequipollenti propter speciales circumstantias omittitur.

Id clarius patebit ex sequentibus.

Art. 6. - *Conditiones pro canonizatione aequipollenti.*

Conditiones, requisitae pro canonizatione aequipollenti, inveniuntur in notione eiusdem, data a Benedicto XIV. Sunt autem sequentes: 1) Servus Dei debet esse in antiqua possessione cultus publici ecclesiastici; 2) cultus debet inniti virtutibus heroicis aut martyrio; 3) historici fide digni debent testari de fama miraculorum eiusdem. His conditionibus accedit decretum Summi Pontificis, quo Servus Dei in universa Ecclesia colendus declaratur.

Dicamus breviter de singulis.

A) *Cultus ecclesiasticus antiquus.* Canonizatio aequipollens conceditur illis Beatis, qui ante saec. XVI vixerunt, et ex illo tempore culto publico ecclesiastico gaudent.

Prout diximus, Alexander III an. 1170 reservavit Sedi Apostolicae canonizationem Servorum Dei, qui in fama sanctitatis ex hac vita migrarunt. Urbanus VIII decretis an. 1625 et 1634 prohibuit cultum publicum exhiberi Sanctis et Beatis, qui ut tales a Sede Apostolica declarati non sint. Exceptionem tamen fecit pro illis, qui iam 100 annos ante istud tempus ex tolerantia cultu publico gaudebant.

Secundum can. 2125 § 1, pro Servis Dei, qui post pontificatum Alexandri III († 1181) et ante tempus a constitutione Urbaniana

---

Friburgi 1925, n. 850, p. 170: « Praeceptum igitur Ecclesiae eo tendit ut fideles agnoscant et honorent illum, cui summi honores definitive attributi sunt tamquam Sanctum, i. e. caelitem et gloriae caelestis participem, cultu dignum ».

(« *Caelestis Jerusalem* » d. 5. iul. 1634) praefixum (1534) ex tolerantia cultum habuerunt, peti potest positiva eiusdem approbatio ex parte Romani Pontificis. Edito decreto de facto cultus, Servus Dei habendus est aequipollenter beatificatus (can. 2134).

Per se intelligitur, exsistentiam cultus nunc probandam esse per processum canonibus praescriptum (can. 2125 § 2). Post legitimam probationem sequitur eiusdem a Rom. Pontifice approbatio, modus et locus ubi exercendus sit, quibus accedere potest eiusdem extensio sive ad alias personas et regiones sive ad alios actus cultus duliae.

Post talem beatificationem Servi Dei potest esse sermo de eiusdem canonizatione sive formali sive aequipollenti. Si autem factum cultus probatum sit in processu beatificationis, cultus ipse a Rom. Pontifice approbatus sit, et continuo Beato illi exhibitus, imo etiam uno vel alio modo auctus, non est necessarium, pro canonizatione aequipollenti, exsistentiam eius iterum probare. In tali casu sufficit citare documenta seu actus ex quibus id constat.

B) *Virtutes heroicae*. Clarum est, personam, quae ut sancta veneranda et imitanda proponitur, sanctitate proprie dicta fulgere debere. Numquam enim cultus publicus ecclesiasticus personae non sanctae praestitus est; et si aliquando per abusum id accidit, cognita rei veritate sublatus est.

Sanctitas consistit in possessione virtutum theologicarum et moralium, et quidem non in quocumque, sed in heroico gradu, ut Servus Dei ab omnibus imitari possit. Existentia virtutum in gradu heroico seu constans et communis fama de sancta Servi Dei in terris conversatione, prout dicit can. 2127 n. 2, supponitur probata iam in processu beatificationis. Proinde non videtur necessarium eam iterum probare, quando reassumitur causa pro Servi Dei canonizatione, nec Codex id exigit. Can. 2137 et 2138 loquuntur tantum de miraculis post beatificationem sive formalem sive aequipollentem patratis; non vero de probatione sanctitatis aut virtutum in gradu heroico. In tali casu sufficit facta vel documenta iam allata denuo referre.

C) *Martyrium*. Cultus publicus ecclesiasticus, qui Servis Dei exhibetur, secundum dictum Benedicti XIV, debet inniti virtutibus heroicis aut martyrio. Quando agitur de martyre, tunc virtutes non examinantur, quia existentia earum supponitur. Martyrium pro Christi fide perpessum optimum signum sanctitatis censetur. In se enim includit omnes virtutes theologicas et morales, et quidem

in gradu heroico, quia sine speciali Dei gratia sustineri non potest. De facto, martyrium aufert culpam et poenam eodem modo ac baptismus; adultos autem martyres extollit super pueros baptizatos; quia adulti propter usum rationis et voluntariam sanguinis effusionem fidelibus adultis in exemplum imitandum et aemulandum proponuntur.

Hic tamen advertere debemus, factum martyrii pro fide perpessi, aeque ac sanctitas vitae, probandum esse ante beatificationem sive formalem sive aequipollentem seu ante approbationem cultus Servo Dei ob martyrium exhibiti. Probato semel facto martyrii tamquam fundamento cultus, et obtenta per consequens approbatione cultus, non videtur amplius necessarium illud, quando petitur canonizatio Beati, probare. Sufficit ut de eodem, exposito facto seu evidentia materiali et formali, constet.

D) *Fama miraculorum.* Pro Servis Dei, qui in antiqua cultus ecclesiastici possessione inveniuntur, quique sanctitate eminent, aut palma martyrii pro Christo coronati sunt, ut aequipollenter canonizari possint, Benedictus XIV requirit insuper famam miraculorum. Ipse non exigit, ut miracula in specie per canonicum processum comprobentur; sed sufficere declarat famam eorum seu traditionem per historicos fide dignos testatam. Ratio est, quia agitur de Servis Dei, qui ante plura saecula in fama sanctitatis mortui aut martyrium pro Christi fide perpessi sunt, et forsan de miraculis singulae circumstantiae, nunc examinandae, conservari non potuerunt. Ne autem viri sancti cultu debito priventur, sufficere declarat traditionem miraculorum, de qua viri fide digni testantur.

Etiam fama miraculorum aeque ac cultus immemorabilis et sanctitas aut martyrium Servi Dei comprobari debent ante Servi Dei beatificationem, ut cultus eius publicari, confirmari, et approbari possit. Si bene inspiciantur verba Benedicti XIV, id ipse quoque dicere videtur, etiamsi de canonizatione aequipollenti loquatur. Ratio est, quia, si ista ante beatificationem aequipollentem non probentur, Servus Dei nec Beatus declarari nec cultus eius publicus agnosci et approbari potest. Per consequens, probata ante beatificationem aequipollentem eadem fama, sanctitate vel martyrio et cultu immemorabili, non videtur adesse ratio, ut pro canonizatione iterum probetur. Si idem etiam pro canonizatione requiritur, id potius ad cautelam requiri dicendum est pro illis Beatis, quorum beatificationis documenta forsan perierunt. Id deducitur etiam ex can. 2137, qui pro canonizatione requirit documentum authenticum peractae beatificationis; si tale documentum non adsit,

legitimus processus instituendus est ad probandum factum positivae permissionis ex parte Romani Pontificis [26].

Hoc valet pro canonizatione aequipollenti confessorum et virginum aeque ac martyrum. Ideo videmus Summos Pontifices tum antiquiores tum novos et novissimos plurimos beatos confessores et virgines in Sanctorum catalogum retulisse. Martyres autem in novo iure speciali favore iuris gaudent.

Art. 7. - *Miracula in canonizatione martyrum.*

Benedictus XIV ait, numquam fuisse editum generale decretum de necessitate miraculorum in causis martyrum pro obtinenda eorum beatificatione aut canonizatione [27]. In praxi tamen semper exigebantur miracula non tantum pro confessoribus et virginibus, verum etiam pro martyribus, quamvis doctores hac de re diversas sententias secuti sint.

Can. 2116, praeter heroicitatem virtutum aut martyrium, ad beatificationem Servi Dei requirit miracula eius intercessione patrata. Verum, si de martyre agatur et evidenter constet de martyrio et causa martyrii tum materialiter tum formaliter spectati, sed deficiant miracula, Sacrae Congregationis est decidere, an signa in casu sufficiant et, iis deficientibus, an supplicandum sit Sanctissimo pro dispensatione a signis in casu. Sed pro canonizatione Beatorum nullam distinctionem Codex facit inter confessores et virgines ex una parte, et martyres ex altera parte. Can. 2138 pro omnibus qui formaliter beatificati sunt, requirit duo approbata miracula, quae supervenerint post formalem beatificationem; pro illis vero qui aequipollenter fuerunt beatificati exigit tria miracula, post aequipollentem beatificationem patrata [28].

Quia Codex canonizationem aequipollentem ne meminit quidem, necessitas trium miraculorum post beatificationem aequipol-

---

[26] Can. 2137 § 1. Ut Sacrae Congregationi de formali aut aequipollenti beatificatione in casu constet, authenticum documentum exhibendum est.

§ 2. Si documentum huiusmodi non habeatur, legitimus processus est instituendus ad probandum factum positivae permissionis cultus ex parte Romani Pontificis.

[27] Benedictus XIV, *De Servorum Dei beatif.*, I, c. 30, n. 9, p. 121.

[28] Can. 2138 § 1. Ad canonizationem Beatorum qui formaliter beatificati sunt requiritur approbatio duorum miraculorum, quae supervenerint post formalem beatificationem.

§ 2. Ad canonizationem vero Beatorum, qui aequipollenter fuerunt beatificati, requiritur approbatio trium miraculorum, quae post aequipollentem beatificationem patrata sint.

lentem patratorum intelligenda est de canonizatione formali, non autem de canonizatione aequipollenti. Canonizatio aequipollens diiudicanda est, et in casu eiusdem procedendum est ad normam principiorum ante Codicem observatorum et post Codicem in praxi vigentium.

Nihilominus, secundum interpretationem Codicis ex parte promotoris generalis fidei in casu canonizationis BB. Ioannis Fisher et Thomae More, Salvatoris Natucci, ad quam nos plene accedimus, miracula non sunt necessaria non tantum in casu canonizationis aequipollentis sive confessorum et virginum sive martyrum, immo nec in casu canonizationis formalis martyrum. En quomodo argumentatur ipse, qui officio ut promotor generalis fidei ad tuendam fidem et observantiam canonum in causis beatificatinis et canonizationis tenebatur (can. 2010).

In veteri iure, dicit Natucci, inde a constitutione S. R. Congregationis - instituta est a Sixto V. const. « *Immensa* » 22. febr. 1587 - usque ad Codicem iur. can. nulla martyrum beatificatio formalis aut aequipollens canonizatio habita fuit absque signorum vel miraculorum approbatione. Attamen dum praxis uniformis fuit, theoria varia extitit. Sacrae namque Congregationis initio, quando causae ab Auditoribus Rotae parabantur, hi theoriae adhaeserunt, eamque argumentis comprobarunt, in causis martyrum miracula non esse necessaria. Argumenta ab ipsis prolata triplicis erant generis: theologici, historici et iuridici.

a) *Argumentum theologicum*, ex multiplici capite petitum, efferebat, martyrium certam sanctitatis demonstrationem, quia perfectionem efficit, et quamlibet aufert, ad instar baptismi, culpam aut poenam. Signis igitur non est opus ad certitudinem de sanctitate martyris capessendam.

b) *Argumentum historicum* antiquissimae Ecclesiae praxi innitebatur, cum Ecclesia innumeros coluerit martyres, quorum sanctitas per miracula non fuit confirmata.

c) *Argumentum iuridicum* suppeditabant universi canonistae, qui, uno tantum excepto, in suis commentariis ad caput « De Reliquiis et Veneratione Sanctorum », in Sexto, docuerunt, miracula non requiri in causis martyrum.

S. Congregatio, ut Auditorum Rotalium theoriam tandem ad trutinam revocaret, anno 1642 proposuit dubium: « Utrum pro declarando Martyre a Sede Apostolica requirenda sint miracula ». Suffragia paria fuerunt in utramque partem: sex suffragatores enim responderunt affirmative, et sex negative. Illi autem qui

responderunt affirmative, seu miracula esse requirenda, ita sunt ratiocinati: Dato vero martyrio, miracula quidem non sunt requirenda; at ut probetur martyrium in martyre hoc, nempe in individuo, fuisse verum, requiruntur miracula, quia evidentia martyrii in concreto haberi non potest, cum nos fugiat actus internus quo martyr in voluntate usque ad finem perseverat moriendi pro Christo. Stante illa opinionum divergentia, dubium non fuit resolutum; quia vero de re gravissima agebatur, statutum fuit adhaerendum esse opinioni tutiori, quae insuper praxi consona erat.

Per novam legem, i. e. per Codicem, tamen non modo praxis fuit abrupta, verum etiam theoria veteris disciplinae suo fundamento orbata. Novus enim Codex, statuens posse ad martyrum beatificationem deveniri sine signis seu miraculis, quando est evidens, implicite docet: 1) dato vero martyrio, miracula non sunt necessaria; 2) haberi potest in concreto, seu in individuo, martyrii evidentia; 3) per martyrii evidentiam aufertur ratio persequendi viam tutiorem. Novus Codex ergo plene adhaeret theoriae Auditorum Rotalium, antiquorum canonistarum, qui uno ore edixerunt, in causis martyrum miracula requirenda non esse.

Probato spiritu novae legis, retinendum foret, etsi littera taceret, non modo ad beatificationem, verum neque ad canonizationem formalem requiri miracula, quando martyrium evidens est. Littera tamen non tacet; nam Codex, de miraculis agens ad effectum canonizationis, ait eorum discussionem regi iisdem legibus quae superius statutae sunt can. 2116-2134 (can. 2139). Iam vero can. 2116 in secunda parte ait, in causis martyrum, quando martyrium evidens est, miracula et signa, accedente pontificia dispensatione, necessaria non esse. Non modo ergo vi spiritus, verum quoque vi litterae, nova lex docet ad canonizationem formalem miracula necessaria non esse necessitate absoluta.

Canon vero 2116, qui sub titulo de beatificatione invenitur, consulto et deliberate a legislatore translatus est et inclusus sub titulo de canonizatione. Id satis colligitur: 1) ex accuratione et diligentia qua Codex definitive redactus fuit; 2) ex spiritu legis, quae ad theoriam Auditorum Rotalium plene accedit; 3) ex nulla repugnantia aut perturbatione contextus. Et sane, quemadmodum secunda pars can. 2116, quae statuit miracula non esse necessaria quando martyrium evidens est, bene astruitur priori parti eiusdem canonis, quae docet miracula necessaria esse ad beatificationem; ita haec eadem secunda pars citati can. 2116, a can. 2138 commemorata et assumpta, non contradicit canoni immediate praecedenti 2138, qui ad canonizationem Beatorum requirit miracula.

Has ob rationes Natucci in causa BB. Ioannis Fisher et Thomae More censuit, ita evidenter constare de martyrio eiusque causa, ut ad canonizationem formalem, accedente pontificia dispensatione a signis, procedi posset etiam sine signis et miraculis, de quibus non constabat. Hanc canonizationem putavit iuridicam, quia iuris limites non excedit.

Post talem sententiam promotoris generalis fidei, in Congregatione generali dispensatio a signis seu miraculis petita, et die 29. ian. 1935 a Summo Pontifice Pio XI impertita fuit [29].

De facto uterque Beatus paulo postea, non obstante defectu signorum seu miraculorum tum ante tum post aequipollentem beatificationem, non aequipollenter, sed formaliter et quidem summa cum sollemnitate die 19. maii 1936 inter Sanctos relatus est. [30].

Art. 8. - *Miracula in canonizatione non martyrum.*

Si martyres, secundum spiritum et litteram Codicis, canonizari possunt formaliter sine miraculis, accedente dispensatione Summi Pontificis, multo magis canonizari possunt aequipollenter; quia praescripta canonum talem canonizationem non respiciunt, totum autem negotium canonizationis aequipollentis a beneplacito Romani Pontificis pendent. Idem probatur pluribus rationibus.

Primo *ex cultu approbato.* Ecclesia enim non potest venerari et publico cultu colere nisi res sacras et personas sanctas. Ideo, si cultus publicus ecclesiasticus alicui Servo Dei per plura saecula praestitus et a Summo Pontifice approbatus sit, dici debet — etiam abstractione facta a sanctitate aut martyrio tempore processus beatificationis probatis — istum Servum Dei revera sanctum esse. Hic Servus Dei iam per beatificationem sive formalem sive aequipollentem indirecte declaratus est, etsi non pro tota Ecclesia, civis regni caelestis, amicus Dei, dignus qui cultu publico ecclesiastico veneretur, necnon ut a fidelibus imitetur et invocetur.

Idem confirmatur sententia non paucorum theologorum, qui infallibilitatem Ecclesiae etiam ad beatificationem extendunt. Ratio est, quia contra sanctitatem cultus divini esset, si Ecclesia venerationem alicuius hominis praescriberet vel saltem permitteret, qui in caelo apud Deum non esset [31].

---

[29] *Acta canonizationum, cura Alfonsi Carinci collecta,* Insulae Liri 1939, vol. II, 241-243.

[30] Litterae decret. « *Saevis agitata* » 19. maii 1936. Acta Ap. Sedis 1936, 185-203.

[31] Minges, *Compendium,* III, n. 388, p. 257; Van Noort-Verhaar, *Tractatus*

Secundo, miracula in casu canonizationis *non requiruntur iure divino,* sed iure ecclesiastico seu mere humano. Ideoque Rom. Pontifex potest ab eis libere dispensare, et de facto plurimi Pontifices a miraculis dispensarunt.

Tertio, *primis Ecclesiae temporibus* pro canonizatione *non requirebantur,* et plurimi Servi Dei, primo martyres, deinde alii, etiam sine examine miraculorum, ut sancti venerati sunt. Si Ecclesia postea, propter maiorem securitatem miracula praescripsit, nihil impedit, quominus, in specialibus circumstantiis, Servos Dei etiam sine miraculis ut sanctos colendos statuat.

Quarto, inter canonizationem et beatificationem nulla essentialis *distinctio,* sed *accidentalis* tantum est, quia nulla distinctio essentialis est inter cultum sanctis et beatis exhibitum. In utroque enim casu venerantur per cultum duliae: sancti omnibus actibus cultus et ab omnibus fidelibus, beati quibusdam actibus et a limitato numero fidelium. Nihil ergo impedit, ut ille cultus, etiam sine miraculis, si Sanctissimo placuerit, omnes actus cultus comprehendat et ad omnes fideles extendatur.

Rationes hic allegatae militant pro canonizatione aequipollenti non tantum martyrum, verum etiam confessorum aliorumque. Rectitudo huius sententiae confirmatur: 1) sententia doctorum, essentiam canonizationis aequipollentis consistere in extensione cultus Beati ad universam Ecclesiam; 2) plurimis canonizationibus aequipollentibus non tantum martyrum, verum etiam confessorum aliorumque, factis sine mentione miraculorum, nostris diebus S. Alberti Magni, SS. Ioannis Fisher et Thomae More, necnon S. Margaritae, Virginis, Beli IV, Hungarorum regis filiae; 3) doctrina aliorum auctorum, qui idem affirmant [32].

Art. 9. - *Rationes suadentes canonizationem aequipollentem.*

Plures rationes sunt, quae in praxi canonizationem aequipollentem suadent. Quaedam ex ipsis motivae sunt seu finales, quae nempe per se sufficiunt, ut Summus Pontifex motu proprio ad ca-

---

de Ecclesia Christi, n. 95, p. 108: « Plura suadent infallibilitatem ecclesiae extendi etiam ad canonizationem aequipollentem, olim usitatam, qua np. defunctus absque formali iudicio canonizationis paulatim ab universa ecclesia ut colendus assumebatur ».

[32] Sic Berutti, *Institutiones iur. can.,* IV, 271: « Quamvis aliud ab Auctoribus doceretur, ne ad aequipollentem quidem canonizationem praevius processus super miraculis requiritur; quum nihil dicatur de concessa ad rem dispensatione in litteris decretalibus quibus Pius XI d. 16. dec. 1931. per illa, Sancti Alberti Magni O. P. Confessoris Pontificis cultum universae prae-

nonizationem aequipollentem alicuius Beati procedat; aliae autem impulsivae sunt, illae nempe quae veniunt a rogantibus Summum Pontificem, ut aliquem Beatum catalogo Sanctorum adscribere dignetur.

Practice, tum ad beatificationem tum ad canonizationem sive formalem sive aequipollentem devenitur tantum ad instantiam actoris, qui potest esse persona singularis aut moralis. Id supponit etiam can. 2003 § 1: « Quilibet fidelis vel legitimus Christifidelium Coetus ius habent petendi ut causa apud tribunal competens instruatur ». Secundum § 3 eiusdem canonis, « Loci Ordinarius potest sive ex officio sive ad instantiam causam beatificationis instruere ». Quod attinet ad canonizationem sive formalem sive aequipollentem, loci Ordinarius nihil facere potest, nisi Summum Pontificem rogare, ut ipse processum canonizationis ordinet. Summus Pontifex numquam ad eiusdem processus instructionem procedere solet, nisi ad instantiam episcopi aliusve personae moralis [33]. Rationes autem, quae ut motivae seu finales ad canonizationem aequipollentem obtinendam allegantur, intelligendae sunt ita, ut, accedente petitione actoris, Summus Pontifex eas ut suas consideret, et canonizationem aequipollentem ut motu proprio procedentem decernat.

A) Rationes motivae. 1. *Exaltatio Ecclesiae et fidei catholicae.* Qualibet beatificatione et canonizatione Ecclesia et fides catholica exaltantur, quia Beati et Sancti pertinent ad viros extraordinarios, qui supra alios incomparabiliter extolluntur [34]. Aliquando tamen dari potest casus, ut speciales rationes in aliquo regno vel etiam in tota Ecclesia postulant glorificationem seu canonizationem alicuius viri eminentis ob statum socialem, sanctitatem vitae, gloriosum martyrium, scientiam, etc., quem tamen deficiunt miracula post beatificationem patrata. Positione tam illustrium virorum super candelabrum Ecclesiae per canonizationem aequipollentem, ut

---

cepit Ecclesiae, addito Doctoris titulo ». — Nec in litt. decret. « *Maxima inter munera* » d. 21. nov. 1943, quibus Pius XII S. Margaritam Virginem O. S. D. aequipollenter canonizavit, aliquid de dispensatione a miraculis dictum est.

[33] Haring, *Grundzüge*, 597: « Der Beatifikations - wie der Kanonisationsprozess wird nur auf Ansuchen von Bischöfen oder Korporationen eingeleitet ».

[34] Id exprimitur in ipsa formula beatificationis et canonizationis: « Ad honorem Sanctae et Individuae Trinitatis, ad exaltationem fidei catholicae et christianae religionis augmentum, auctoritate D. N. J. C. » Cfr. Benedictus XIV, *De Servorum Dei beatificatione*, I, c. 36, n. 21, p. 149.

toti mundo exemplis, scientia et doctrina, etc., luceant, summe exaltantur Ecclesia et fides, quae tam illustres viros generare et tam magnos heroës mundo dare potuit. Ideo haec circumstantia servire potest Summo Pontifici tamquam principale motivum ut, stantibus aliis conditionibus, a miraculis dispenset, et cultum alicui Beato exhibitum ad universam Ecclesiam extendat, eumque Sanctorum catalogo adscribat. Hoc motivum locum habuisse videtur in canonizatione non paucorum principum, virorum doctorum et martyrum, ultimis temporibus SS. Ioannis Fisher et Thomae More, S. Alberti Magni et S. Margaritae, regis Hungarorum Belae IV filiae.

2. *Confortatio et corroboratio fidelium.* Tempore persecutionis vel impugnationis Ecclesiae et religionis ex parte impiorum, ut patet, oritur necessitas ut fidelibus regionis, per canonizationem aequipollentem, ponatur in exemplum Beatus eiusdem nationis, praesertim ille qui pro fide martyrium passus est. Exemplo huius magni viri connationales eius confortati et corroborati, facilius sustinent aerumnas temporis, persecutiones malorum, promptioresque redduntur omnes adversitates, imo et ipsam mortem subire, potius quam fidem suam tradere. Ideo Summi Pontifices non semel processerunt ad beatificationes et canonizationes aequipollentes martyrum nationalium, qui tempore persecutionum martyrium passi sunt. Exemplum habemus in Martyribus Japonensibus, SS. Petro Baptista et sociis, BB. Apollinare et sociis, plurimis Martyribus tempore persecutionum in Anglia, Gallia, etc.

3. *Remuneranda merita in Ecclesiam.* Summum Pontificem ad canonizationem aequipollentem alicuius Beati, quem deficiunt miracula post beatificationem patrata, movere possunt etiam merita alicuius populi, Ordinis vel Religionis in Ecclesiam. In casu agi potest de viro principe eiusdem populi aliove Beato nationali, de fundatore vel membro alicuius Ordinis vel Congregationis. Ad remuneranda merita sive populi sive Religionis Summus Pontifex non raro infert in catalogum Sanctorum et ad universam Ecclesiam extendit cultum Beatis in certis locis exhibitum, etiamsi miracula post beatificationem non patraverint. Huc pertinent inter alios S. Romualdus, fundator Camaldulensium; S. Norbertus, fundator Praemonstratensium; S. Bruno, fundator Carthusianorum; S. Petrus Nolasco, fundator Ordinis B.M.V. de Mercede; SS. Ioannes de Matha et Felix de Valois, fundatores Ordinis SS. Trinitatis Redemptionis captivorum, qui omnes aequipollenter canonizati sunt, aliique. Haec ratio videtur fuisse una ex illis, quae Summum Pon-

tificem Pium XII, moverunt ad aequipollentem canonizationem S. Margaritae, filiae Hungarorum regis Belae IV, an. 1943 factam [35].

B) Rationes impulsivae. 1. *Instantia personarum illustrium.* Non raro personae illustres, sive ecclesiasticae sive civiles, rogare solent Summum Pontificem, ut cultum alicuius Beati, qui non patravit miracula post beatificationem, ad universam Ecclesiam extendat, seu ut eum aequipollenter canonizet. Summus Pontifex, ad eorum instantiam, edit decretum canonizationis aequipollentis, inscribit respectivum Beatum catalogo Sanctorum, eiusque cultum ad universam Ecclesiam extendit, quod, ob defectum miraculorum, via ordinaria obtentum non esset. Ita Clemens X. an. 1670 aequipollenter canonizavit S. Wenceslaum, ducem Bohemorum et martyrem, ad instantiam Romanorum imperatoris, Leopoldi. Ad instantiam eiusdem imperatoris, Innocentius XI aequipollenter canonizavit an. 1686 S. Stephanum, regem Hungarorum [36]. Pius XI an. 1931 aequipollenter canonizavit S. Albertum Magnum, O. P., episcopum et confessorem, ad instantiam archipraesulum Germaniae aliorumque. Ad instantiam archipraesulum Angliae aliorumque idem Pontifex an. 1936 in Sanctorum catalogum retulit SS. Ioannem Fisher et Thomam More. Ad instantiam vero archipraesulum Hungariae aliorumque, Summus Pontifex Pius XII, an. 1943 aequipollenter canonizavit S. Margaritam, Monialem Ord. S. Dominici, filiam Belae IV, Hungarorum regis.

2. *Preces piorum fidelium.* Non solum petitiones personarum illustrium, verum etiam preces piorum fidelium non parum conferunt ad canonizationem aequipollentem alicuius Beati obtinendam. Ad pios fideles computantur non tantum simplices fiedeles, verum etiam sacerdotes, religiosi et religiosae aliaeque personae in dignitate infra episcopalem constitutae. Horum omnium preces, quo numerosiores sunt, eo maiorem effectum producunt. Si ullibi valet axioma: « Vox populi — vox Dei », illud valet praesertim in hoc casu. Tales preces probant famam sanctitatis, qua Beatus apud fideles gaudet. Insuper, si in rebus fidei et morum errare non potest Ecclesia credens, manifestum est, numerosas preces fidelium ad Summum Pontificem directas, Summum Pontificem adiuvare ad efformandam persuasionem, in casu agi de viro vere digno, qui in album Sanctorum inferatur, eorum honoribus condecoretur, omnibusque fidelibus in exemplum imitandum proponatur.

---

[35] *Acta Ap. Sedis* 1943. 38.

[36] Benedictus XIV, *De Servorum Dei beatificatione*, I, c. 41, n. 8 et 9, p. 180.

Summus Pontifex aliquando desiderat sententiam aliorum quoque hac de re audire. In casu canonizationis SS. Ioannis Fisher et Thomae More plus quam 200.000 fidelium preces ad Summum Pontificem directae erant. Pius XI, praeter illos qui in tali casu sententiam suam aperire solent, aliorum quoque sententiam audire voluit. Ideo iussit, ut remotissimis quoque episcopis compendium vitae et actorum in Causa canonizationis eorum mitteretur, ut, re cognita et perpensa, quisque sententiam suam aperire posset [37]. Auditis eorum sententiis, ad sollemnem Beatorum canonizationem processit, quamvis nullum miraculum nec ante nec post beatificationem patraverint.

P. Antonius Crnica O. F. M.

---

[37] Litt. decret. « *Saevis agitata* » 19. maii 1936: « Ad nonam igitur diem subsequentis maii mensis Consistorio hoc semipublico a Nobis indicto, curavimus ut datis Litteris non viciniores tantum Episcopi, sed remotissimi quoque de tanta solemnitate certiores fierent, et, si sibi esset facultas, sententiam suam etiam ipsi dicturi, Nobis adessent; iussimus insuper unicuique eorum compendium vitae et actorum in Causa Canonizationis BB. Ioannis Cardinalis Fisher et Thomae More expediri, ut, re cognita et perpensa, suam quisque possent Nobis aperire sententiam ». *Acta Ap. Sedis* 1936, 200.

DE «IURE SUPREMI PATRONATUS» REGUM HUNGARIAE

Nimium suspectumque rerum scriptores hungarici recentissimis hisce temporibus in « iure supremi patronatus » regum Hungariae investigando collocant studium. Prior E. Mályusz, in Universitate Budapestinensi quondam Antecessor rerum medio aevo gestarum, disquisitionem sermone hungarico atque etiam germanico conscripserat « *De iure regii patronatus in Hungaria, Concilio Constantiensi confirmato* », [1] deinde alter quoque de eodem argumento tractatus a quodam A. Csizmadia, qui se in Facultate Iuridica Universitatis Quinque-Ecclesiarum professoris munere fungi asserit, lingua item germanica in lucem editus est. [2] Quam ad placita ab Auctoribus supra dictis prolata oculos admoveamus, prius in mentem revocare iuvabit cuinam, reapse, illud « ius supremi patronatus » fundamento innitatur historico quaeque evolutio eiusdem labentibus saeculis fuerit. Etiamsi mos de « iure regii patronatus » sermonem faciendi, instar « iurium circa sacra » apud Gallicanismi seu Febronianismi propugnatores, saec. XVIII tandem in Hungaria invaluerit, historice nihilominus de eo constat quod reges Hungariae etiam prius influxum quemdam in Ecclesiam per istas ditiones constitutam exercuerant.

Gentem Hungarorum a S. Stephano, nationis eiusdem protorege, ad Evangelii lumen perductam fuisse notissimum est. Una cum institutionibus civilibus, quas ipse populo suo rudi incultoque imposuit, rationes quoque Ecclesiam regendi ab exemplo Franco-Baiuvarico mutuatas fuisse probatione similiter non indiget. His fretus S. Stephanus, tamquam *rex et sacerdos*, dioeceses condebat, ecclesiis episcopos praeficiebat, leges ad similitudinem Capitularium aetatis Merovingicae pro Ecclesia per Hungariam mox condita ferebat. Probabilitate quidem non caret quod, antequam opus apostolicum aggrederetur, consensum Romani Pontificis exquisierit, at omnino certum est ipsum sive facultatibus Legati apostolici sive privilegio dioeceses erigendi episcoposque eligendi nunquam

[1] E. Mályusz, *Das Konstanzer Konzil und das königliche Patronatsrecht in Ungarn* (*Studia historica Academiae Scientiarum Hungaricae*, N. 18), Budapestini 1959.

[2] A. Csizmadia, *Die Auswirkungen der «Bulle» von Konstanz auf die Entwicklung des Oberpatronatsrechts* (*Acta Iuridica Academiae Scientiarum Hungaricae*, II, 1960, pp. 53-82).

munitum fuisse.[3] Ad successores vero s. protoregis quod attinet, dubitandum non est quominus et ipsi iisdem facultatibus circa res ecclesiasticas atque plerique reges tunc temporis per universam Europam, nullo Summi Pontificis requisito consensu, usi fuerint. Alioquin enim intellectu difficile esset curnam Hungariae rex Colomannus (1095-1116) in synodo Guastalliensi « investiturae » praelatorum valedicere debuerit[4]. Prout tamen in aliis regionibus Europae reges ius ad dignitatem episcopalem capitulariter electos confirmandi seu electionem eorum rati habendi sibi vindicabant, eodem prorsus modo reges quoque Hungariae in nominationem praelatorum se ingerebant. Ita Innocentius Pp. III die 21 novembris 1204 ad archicapitulum Strigoniense scribere potuit: « Post dilationem vero non longam, cum ad festum b. Stephani Regis iidem episcopi [sc. suffraganei] sollemniter convenissent ... vos ab eisdem episcopis requisiti quem illi sedi velitis eligi ac proponi, taliter respondistis quod nullum auderetis eligere nisi qui plenam regis gratiam obtineret, et protinus praefatum Colocensem archiepiscopum, in quem iam pridem cum rege conveneratis predicto, nominare curastis »[5]. Anno 1205 Andreas dux, vice regis Ladislai III, pro transferendo episcopo Quinque-Ecclesiarum ad metropolim Strigoniensem apud Romanum Pontificem institit, exauditus tamen non est; at anno insequenti, Andrea interim in regem coronato, Innocentius Pp. III Bertholdum, pro cuius confirmatione rex supplicaverat, spectata iuvenili eius aetate, haud quidem confirmavit sed administratorem ecclesiae Colocensis constituit[6].

Vergente tandem saec. XIV, etiam in Hungaria influxus regis in nominationem praelatorum accrescebat. Hinc quidem Urbanus Pp. VI die 9 octobris 1387 Ioannem episcopum Agriensem motu proprio archiepiscopatui Strigoniensi praefecit[7], inde vero Sigismundus, rex Hungariae, die 4 decembris eiusmodi anni cuidam Nicolao clerico promisit se episcopatum Syrmiensem eidem collaturum et pro eo Romano Pontifici supplicaturum esse[8]. Extant

---

[3] Quae omnia fusius ostendere conati sumus in disquisitione nostra « *Die 'Apostolische Legation' des Ungarnkönigs Stephan des Heiligen* » (*Oesterreichisches Archiv für Kirchenrecht*, VIII, 1957, pp. 253-267).

[4] Vide apud *Mansi*, tom. XX, coll. 1211-1212.

[5] G. Fejér, *Codex diplomaticus Regni Hungariae ecclesiasticus ac civilis*, Budae 1829-1844, tom. II, pp. 451-454.

[6] G. Fejér, *op. cit.*, tom. III, vol. I, pp. 23-31.

[7] E. Mályusz, *Zsigmondkori oklevéltár*, Budapestini 1951-1958, vol. I, NN. 246 sq.

[8] *Ibid.*, N. 325.

praeterea litterae ab eodem Sigismundo datae quibus rex vicum Almás nuncupatum iurisdictioni praepositi Scepusiensis subiecit [9], spreto iure patronatus civitatis Bartphensis, cappellanum suum Przibislaum parochum eiusdem civitatis designavit [10], lites sive de numero vicariorum [11], sive de iure decimarum [12], sive de more rectores cappellarum ad tempus instituendi [13] definivit. Idem iterato quoque prohibuit ne viri ecclesiastici a Papa beneficio donati in Hungaria possessionem eorumdem caperent [14]. Nonnullos etiam clericos ad beneficia capitularia, immo etiam episcopalia, ab eodem Sigismundo praesentatos fuisse constat [15]. Rex anno 1410 ab oboedientia Gregorii Pp. XII, legitime electi, recedens a Ioanne XXIII postulavit ut ad sedes episcopales nullus nisi ab ipso praesentatus promoveretur [16], quod tamen Ioannes XXIII promittere renuit simulque omnia per universam Hungariam beneficia sibi reservavit [17]. Dubium non est quin optatis Sigismundi, ex parte saltem, ad effectum perducendis schisma Ecclesiae Occidentalis succurrerit.

Quibus ad intelligendum statum quaestionis per summos apices praemissis, nunc iam ad problema ab Auctoribus supra memoratis agitatum mentem admoveamus.

Stephanus de Werbewch, Regni Hungariae comes palatinus et, omnibus rerum scriptoribus fatentibus, loquendi artis magis quam iuris peritus, in suo *Opere Tripartito Iuris Consuetudinarii Regni Hungariae*, iussu Wladislai II. Hungariae regis, anno 1514 vel fere composito, primus mentionem fecit cuiusdam « *bullae* » per quam Patres Concilii Constantiensis sub iurisiurandi religione libertatem Regni Hungariae, omnia scilicet beneficia ecclesiastica a reservatione pontificia immunia fore, agnovissent [18]. Mos inde apud historiographos res Hungariae gestas colentes invaluit de « *bulla Concilii Constantiensis* » sermonem faciendi, temetsi neque unicum huius « *bullae* » exemplar reperiri potuerat. Tandem anno 1931

---

[9] G. Fejér, *op. cit.*, tom. X, vol. I, p. 449; cfr. E. Mályusz, *op. cit.*, vol. I, N. 806.

[10] G. Fejér, *op. cit.*, tom. X, vol. I, p. 685.

[11] E. Mályusz, *op. cit.*, vol. I, N. 2466.

[12] *Ibid.*, N. 2857.

[13] *Ibid.*, N. 4746.

[14] E. Mályusz, *Das Konstanzer Konzil und das königliche Patronatsrecht in Ungarn*, pp. 65 sqq

[15] E. Mályusz, *Zsigmondkori oklevéltár*, vol. II, N. 5680; cfr. N. 6058.

[16] *Ibid.*, N. 7649.

[17] *Ibid.*, NN. 7847-7851.

[18] *Tripartitum*, Pars prima, tit. XI, § 5. (In editione « *Corporis Iuris Hungarici* » Budae a. 1822 publicata: tom. I, p. 10).

cl.mus B. Iványi in archivo civitatis Eperjes (Prešov) nuncupatae exemplar diplomatis de quo sermo invenit eiusque argumentum (regestum, uti aiunt) verbis sat ieiunis publici iuris fecit[19]. At integrum huius exemplaris anno 1447 exarati textum E. Mályusz iam laudatus anno 1959 primum, in opere suo item allegato, typis mandatum curavit. En verba diplomatis a Cardinalibus S. R. E. die 19 septembris 1417 exhibiti essentialia: « Sane cum, sicut exhibita nobis pro parte ipsius serenissimi regis Sigismundi insinuatio continebat, ex antiqua consuetudine reges Hungarie pro parte [= pro tempore] existentes consueverant presentare ad ecclesias metropolitanas et kathedrales ac ad alia beneficia eiusdem regni personas ydoneas eis gratas, nos attendentes premissa dicti serenissimi regis ingentia merita quodque idem regnum Hungarie in confinio infidelium constitutum quasi quoddam propugnaculum et clipeus Cristianitatis esse dinoscitur, nolentesque, quantum in nobis est, de huiusmodi consuetudine ulterius dubitari, promittimus bona fide eidem serenissimo regi, sicut eiusdem petitio subiungebat, nos facturos et efficaciter curaturos quod summus pontifex de proximo, Domino concedente, assumendus et eiusdem in sede apostolica successores imperpetuum providebunt ecclesiis metropolitanis et kathedralibus et monasteriis prefati regni Hungarie de personis idoneis, pro quibus supradictus rex et successores ipsius in regno Hungarie pro tempore suplicabunt, sine solutione annatarum vel alterius cuiuscumque exactionis, ita tamen quod hi, quos ad metropolitanas ecclesias promoveri postulaverit, moderatas solvant annatas ad instar ceterarum ecclesiarum nationis Germanice. Item quod sedes apostolica non intromittat se de collatione beneficiorum quorumcumque in regno Hungarie et aliis sibi annexis. Item quod nullus extrahatur extra sua regna predicta ad iudicia auctoritate litterarum apostolicarum, nisi cum cause predictorum regnorum per appellationem legitime fuerint ad sedem apostolicam devolute »[20]. Sequitur subscriptio uniuscuiusque 21 S. R. E. Cardinalium ex 23 purpuratis Patribus tunc Constantiae praesentium secundum ordinem, neque illa Oddonis Card. Colonna mox in Papam eligendi excepta.

Hanc paginam pro unico monumento scripto cui « ius supremi patronatus » regum Hungariae inniti possit habendam esse

---

[19] B. Iványi, *Eperjes szabad királyi város levéltára*, Budapestini 1931, vol. I, p. 71.

[20] E. Mályusz, *Das Konstanzer Konzil...* pp. 8-9. Eundem textum A. Csizmadia quoque, nescitur quo fonte usus, in lucem edidit (*loc. cit.*, pp. 59-61), novem mendis typographicis tamen auctum.

auctores supra memorati admittunt quidem [21] in diversas tamen abeuntes sententias circa vim eius iuridicam momentumque. E. Mályusz *veri nominis privilegium* per eam concessum esse asserit [22], dum e contra A. Csizmadia *initium consuetudinis ius quoddam obiectivum ecclesiasticum introducentis* ab ea repetendum esse contendit [23]. Iam inquiramus, utrum alterutri eorum astipulari possimus.

Saec. XV auctores quidam S. Cardinalium Collegio, ipsis purpuratis Patribus minime contradicentibus, in regimine universalis Ecclesiae vota decisiva competere docebant. At placita eorum nunquam auctoritate canonum sancita fuisse compertum est [24]. Unde iam concludere fas erit, quod verum privilegium a Cardinalibus S. R. E. Constantiae coadunatis, per chartam de qua sermo, Sigismundo Hungarorum regi conferri nequivit, etiamsi Cardinales, forsitan bona fide, id in animo habuissent. At neque de hoc constat. Ut ipse E. Mályusz quoque fatetur [25], ne iurium S. Cardinalium Collegii propugnatores quidem infitiabantur Romanum Pontificem Ecclesiae praepositum esse. Idcirco Cardinales chartulae Sigismundo regi exhibitae subscribentes quoque salvo futuri Papae iudicio privilegia quaedam concesserunt. Oddo Card. Colonna vero tamquam membrum S. Collegii, minime tamquam futurus Summus Pontifex promissioni accessit.

Respicienda sunt praeterea adiuncta in quibus diploma illud exaratum fuit. Unus ex Cardinalibus S. R. E. instrumento subscribentibus, Gulielmus Filiastri, rem in suis commentariis diurnis hisce exposuit verbis: « Que omnia propter metum regis et ut accelerarent electionem pape quam differebat et ad obviandum scandalis et periculis predictis, per que poterat totum concilium et unio ecclesie totaliter impediri, consenserunt. Qui [sc. Cardinales] si fuissent in libertate et securitate, nullatenus consensissent » [26]. Quamvis ergo S. R. E. Cardinalibus competiisset privilegium huius generis regibus Hungariae « in perpetuum » conferre, actus eorum

---

[21] E. Mályusz, *op. cit.*, p. 6. - A. Csizmadia, *loc. cit.*, p. 71: « Die kirchenrechtliche Grundlage dieser umfangreichen Befugnis des ungarischen Staatsoberhauptes beruhte grösstenteils auf dem Diplom von Konstanz ».

[22] *Op. cit.*, pp. 3-5.

[23] *Loc. cit.*, p. 80.

[24] Cfr. W. M. Plöchl, *Geschichte les Kirchenrechts*, Vindobonae et Monachii 1955-1960, vol. II, pp. 86 sq.

[25] *Op. cit.*, pp. 20 sqq.

[26] *Ibid.*, p. 5, nota 8. - Cfr. *Acta Concilii Constanciensis* (ed. H. Finke), Monasterii 1923, vol. II, p. 144.

ob coactionem minasque eis a Sigismondo illatas nihilominus infirmatus fuisset. At etiam Auctores nostri admittunt quod concessio seu promissio numquam a Summis Pontificibus sive explicite sive implicite confirmata (seu rectius: sanata) sit [27].

Patet insuper ex supra dictis « antiquam consuetudinem » a Sigismundo invocatam et a Cardinalibus praesuppositam nunquam extitisse. Neque E. Máliusz diffitetur quod usus legitimus optata regis minime fulserit, nisi ipse ad praxim saec. XI et XII vigentem remittere voluisset quae tamen tunc temporis nemini profecto nota fuerit [28]. Cum vero de intentione Cardinalium S. R. E. chartulam exhibentium « antiquam consuetudinem » pro conditione a qua valor concessionis seu promissionis pendeat habendi haud constet, haec adnotasse tantum sufficiat.

Prout ipse E. Mályusz scite demonstrat [29], exemplar diplomatis a S. R. E. Cardinalibus anno 1417 Constantiae exhibiti anno 1447 vel fere Budae, in archivio regio, transsumptum est. At eodem ipso anno 1447 Ioannes de Hunyad, tunc Hungariae, rege deficiente, Gubernator, a Nicolao Pp. V — a quo ipse antiqua Regno Hungariae a Romanis Pontificibus concessa privilegia confirmari postulaverat — ut exemplaria saltem eius generis privilegiorum ostenderet invitatus nullum prorsus instrumentum invenire poterat [30]. Quod si chartulam de qua agitur, quae ipsum certe non latuit, Gubernator pro vero habuisset privilegio, illam indubitate Papae ostendendam curavisset. Unde apparet vim momentumque diplomatis a Cardinalibus S. R. E. Constantiae exarati posterioribus tantum temporibus ultra id quod iustum fuisset elatum esse. Quod, ni fallimur, evenit ut iuri praelatos praesentandi, aliis regibus explicite concesso, in Hungaria privilegium quoddam imaginarium substitueretur.

Nunc iam alteram sententiam, illam scilicet ab A. Csizmadia supra laudato propositam, etsi tractatus eius Auctorem iuris canonici ignarum esse ostendat [31], examinemus. A. Csizmadia hinc

---

[27] E. Mályusz, *op. cit.*, p. 10. - A. Csizmadia, *loc. cit.*, p. 79.

[28] *Op. cit.*, p. 109.

[29] *Op. cit.*, p. 19.

[30] V. Fraknói, *A magyar királyi kegyúri jog*, Budapestini 1895, pp. 146 sq.

[31] Talia enim in tractatu leguntur: « Inhaber von Bullen dürfen keine kirchlichen Benefizien einnehmen, mit Ausnahme jener, die die Bulle (*sic*) von Patronatsherrn erhalten » (*loc. cit.*, p. 67); item: « ... verbot den Klerikern (*sic*) während ihrer Prozesse mit Laien das Interdikt oder die Exkommunikation zu verhängen » (*ibid.*, p. 76).

quidem admittit quod « bulla » a Cardinalibus exhibita qualitatibus privilegii ecclesiastici careat, inde tamen consuetudinem vim iuris in Ecclesia simul atque in Statu habentem ab ea initium sumpsisse affirmat [32]. Ut thesim suam probet, facta historica adulterando haec scribit: « Martinus Pp. V, quamquam a documento cui tamquam Cardinalis subscripserat confirmando abstinuit, 'de facto' vim suae promissionis obligatoriam nihilominus agnovit. ... Reservationes [beneficiorum] exinde in Hungariae sublatae sunt et ad modum exceptionis dumtaxat occurrunt » [33]. Cum iure canonico requiratur ut consuetudo ius obiectivum inducens observantiâ nunquam interruptâ fulta sit, a documento Constantiae anno 1417 exarato nullius consuetudinis vim legis habentis exordium repeti valebit nisi Romani Pontifices ab ipso momento concessionis « privilegii » de quo sermo praesentationes ad sedes episcopales a regibus Hungariae factas tacite saltem admiserint, nulla beneficia minora in Hungariae ditionibus erecta sive sibi reservaverint sive contulerint, servitia occasione provisionis ecclesiarum amplius haud exegerint. At, docente historia, nulla ex his conditionibus verificata fuit.

Etenim Martinus Pp. V in nominandis episcopis ne semel quidem praesentationis a Sigismundo porrectae mentionem fecit, immo cuidam Petro de Rozgon, ab eodem rege ad episcopatum Wesprimiensem praesentato, institutionem canonicam denegavit [34]. Ad reservationem vero beneficiorum minorum quod attinet, idem Summus Pontifex — fatente V. Fraknói, et ipso ficti illius « iuris supremi patronatus » fautore [35] — in 350 casibus talia per Hungariam ubicumque existentia conferebat, non obstantibus chartulae illius verbis: « Item quod sedes apostolica non intromittat se de collatione beneficiorum quorumcumque in regno Hungariae et aliis sibi annexis ». Falso proinde A. Csizmadia contendit collationes beneficiorum minorum post annum 1417 « ad modum exceptionis » tantum a Romanis Pontificibus factas esse. De annatis servitiisve tandem, a quibus Cardinales futuros in regno Hungariae praelatos item dispensaverant, ipsi Auctores nostri palam admit-

---

[32] *Loc. cit.*, p. 80.

[33] *Loc. cit.*, p. 79: « Die päpstlichen Reservationen in Ungarn waren damit allgemein beseitigt; seither kommen sie nur ausnahmsweise vor ».

[34] V. Fraknói, *op. cit.*, pp. 121-126.

[35] *Op. cit.*, p. 128.

tunt quod ea, spreta promissione in « bulla » Cardinalium expressa, nihilominus exigi perrexerint [36].

Iam quaerere quis posset curnam Auctores memorati laborem atramentumque ad ostendendam vim iuridicam diplomatis de quo sermo perdiderint curque A. Csizmadia ad detorquenda facta historica confugerit, certe non ignorantes operam eorum in cassum iri. Quid, re vera, in votis eorum fuerit, loci quidam in tractatibus ab iisdem in lucem editis produnt. Ait enim E. Mályusz: « Instrumentum istud maximi momenti a Sigismondo Statui hungarico acquisitum est » [37]. Cuius vestigiis inhaerendo A. Csizmadia denis in opusculo suo vicibus regem Hungariae pro tempore existentem « supremo reipublicae moderatori » (vulgo: Capo dello Stato) aequiparat [38], quin immo affirmat chartula Constantiae exarata « iura quaedam organorum Status hungarici circa materias ecclesiasticas agnita » contineri [39], verba autem exordio tractatus sui apposita ex decreto Coetus Praesidialis Reipublicae Popularis Hungaricae anno 1951 promulgato, quo assensus praevius eiusdem Coetus Praesidialis ad nominationes Ordinariorum locorum in Hungariae ditionibus per Sedem Apostolicam faciendas requiritur, libata sunt. Haec sat superque ostendunt Auctoribus nostris rationes politicas magis quam argumenta scientifica cordi fuisse. At etiam sub hoc respectu aegre intelligitur, quonam pacto A. Csizmadia collationem « iurium quorumdam circa materias ecclesiasticas » credat a chartula illa repeti posse, quippe quae — ut primo obtutu apparet — ad iura Sigismundi regis quod attinet de praesentatione praelatorum dumtaxat verba faciat.

Postquam supra ostendimus « privilegium » a Cardinalibus S. R. E. exhibitum vi iuridica prorsus destitui, supervacaneum videtur quod Rempublicam Popularem Hungaricam quoad materias ecclesiasticas nullam ab eo facultatem deducere posse probemus. Cum tamen Romanos Pontifices exercitium « iuris patronatus regii » per plura saecula, sive ante annum 1417 sive post, dissimulasse vel fors etiam tolerasse constet, frustra non erit in argumenta ab Auctoribus illis adducta plenius inquirere.

---

[36] E. Mályusz, *op. cit.*, pp. 99 sq. - A. Csizmadia, *loc. cit.*, p. 73: « Es finden sich... keine Spuren darüber, dass die ungarischen Prälaten von der Bezahlung der Ernennungstaxen befreit worden wären oder dass Sigismund bzw. seine Nachfolger die zugesagte Begünstgung in Anspruch genemmen hätten ».

[37] *Op. cit.*, p. 41; cfr. ibid., pp. 19, 99, 109.

[38] *Loc. cit.*, pp. 53, 58 sq., 69 sqq., 80 sq.

[39] *Loc. cit.*, p. 58: « die Anerkennung gewisser Rechte der ungarischen Staatsorgane in kirchlichen Angelegenheiten ».

Etiamsi chartula illa ius aliquod Sigismundo concessum fuisse quis credat, inepte tamen asseverabit regem non sibi suisque in dignitate regia successoribus sed Statui Reipublicaeve ius illud acquisiisse. Ex iure saeculo XV vigenti enim nominatio praelatorum sive ad Papam (per reservationem) sive ad capitula (per electionem) pertinebat. Facultas principibus quibusdam praelatos praesentandi concessa idcirco exemptionem a lege communi seu privilegium a competenti auctoritate ecclesiastica, id est a Summo Pontifice, elargitum praesupposuit. Privilegia vero quandoque per conventiones seu concordata conferuntur iisque tantum modis revocari valent quibus pacta ipsa solvuntur. Ad instrumentum tamen a Cardinalibus Constantiae coadunatis Sigismundo exhibitum quod attinet, nemo non videt illud nullam conventionem bilateralem continere. Neque Romani Pontifices, ut etiam Auctores nostri optime norunt, regibus Hungariae ius praelatos praesentandi unquam explicite conferebant. Restat idcirco ut morem regum hungaricorum praelatos praesentandi a privilegio pontificio tacite concesso repetamus. At privilegia eius generis, sive explicite collata sive dissimulata seu tolerata, ad Moderatores Rerumpublicarum, plerisque scilicet regibus post bellum mundanum 1914-1918 expulsis, minime transierunt. Etenim Benedictus Pp. XV in Consistorio die 21 novembris 1921 celebrato ea omnia revocabit ubi declaravit: « Patet quae privilegia pridem haec Apostolica Sedes, per pactiones sollemnes conventionesque, aliis concesserat, easdem nullo iure posse hasce Respublicas [post annum 1918 stabilitas] sibi vindicare, cum res inter alios acta neque emolumentum neque praeiudicium ceteris afferat »[40]. Quae si etiam sollemnibus conventionibus collata a Sede Apostolica revocata sunt, multo magis illa tacite seu per dissimulationem concessa vim amisisse dicenda erunt. Quamvis enim Sedes Apostolica conventiones minime cum regibus sed cum Nationibus pangere solita sit, privilegium praelatos praesentandi, sive per concordata sive citra conventiones collata, fatentibus iuris publici ecclesiastici auctoribus, pro privilegio personali regum habendum esse Ipsa semper volebat[41].

At Auctores nostri Comitia Regni Hungariae, etiam independenter a regibus, « iure supremi patronatus » usa fuisse contendunt, atque adeo A. Csizmadia affirmat « illud a Romanis Ponti-

---

[40] *Acta Apostolicae Sedis*, XIII, 1921, p. 521.

[41] Vide W. M. Plöhl, *Reflections on the Nature and Status of Concordats* (*The Jurist*, VII, 1947, p. 29) et *Abschluss und Auflösung von Konnordaten* (*Oesterreichisches Archiv für Kirchenrecht*, VIII, 1957, p. 14.).

ficibus iterum atque iterum pro iure regni habitum fuisse »[42]. Iam ad haec eorum placita attendamus.

Tempore quo Ioannes de Hunyad, deficiente rege, Hungariae tamquam Gubernator praefuerit, Comitia de electione praelatorum egisse constat. Lex anno 1446 condita Gubernatori imposuit ut, priusquam ad nominationem episcoporum abbatumve procederet, vota consiliariorum suorum (quibus archiepiscopus Strigoniensis prae caeteris adnumerabatur) exquirere haud omitteret[43]. Notum est praeterea a Comitiis die 9 maii 1445 cuidam viro ecclesiastico « gratiam expectativam » collatum fuisse[44]. Haec sunt exempla quae afferri poterunt ut « ius supremi patronatus » etiam alii quam regibus competere probetur.

At lex anno 1446 a Comitiis promulgata electionem praelatorum tantum abest ut Comitiis vindicet: eam Gubernatori relinquit. Ex quo decreto comitiali ergo nihil omnino deduci valet. Donatio « gratiae expectativae » per Comitia « ius supremi patronatus » a Comitiis exercitum fuisse adeo non probat ut in litteris hac super re confectis haec praecise legantur: « pollicemur ... eligere et huiusmodi episcopatus honoris dominium tibi .. conferre et per dominum nostrum regem conferri procurare »[45].

Ad Romanos Pontifices vero quod attinet, ipse A. Csizmadia, ad probandam suam assertionem, unicum tantum exemplum allegat. Extant enim litterae quaedam Nicolai Pp. V — seu potius ab alio vice Papae datae — quae innuunt nominationem ad sedem metropolitanam Colocensem dilatum iri quoadusque « regni afferantur litterae »[46]. Quod effatum tamen ad ius aliquod, sive explicite sive implicite concessum, referri nequit, cum — prout ex tractatu ipsius E. Mályusz quoque elucet[47] — leges quaedam a Sigismundo Comitiisve latae clericis beneficia ecclesiastica ope pontificiae collationis retinentibus mortis supplicium comminatae fuissent. Quaecumque igitur Summus Pontifex ad maiora mala vitanda scripserit egeritque, ea non ad privilegium consuetudinemve aliquam sed ad facta dumtaxat, eaque tristia, referantur.

---

[42] *Op. cit.*, pp. 79 sq.

[43] Ios. Nic. Kovachich, *Sylloge decretorum comitialium inclyti Regni Hungariae*, Pesthini 1818, tom. I, p. 112. Apud A. Csizmadia (*loc. cit.*, p. 69, nota 64) erronee *Mart. Georg. Kovachich* tamquam auctor operis citati allegatur.

[44] V. Fraknói, *Oklevéltár a magyar királyi kegyúri jog történetéhez*, Budapestini 1899, pp. IV sq.

[45] *Ibidem.*

[46] V. Fraknói, *A magyar királyi kegyúri jog*, p. 152.

[47] *Op. cit.*, pp. 79 sqq.

Ad modum conclusionis ergo haec deducere licebit:

1. Chartula a S. R. E. Cardinalibus die 19 septembris Sigismundo Hungariae regi exhibita ne vestigium quidem privilegii continet.

2. Neque ulla consuetudo vim legis particularis ecclesiasticae habens a diplomate illo exordium sumpsit.

3. Quantumvis Romani Pontifices, sive ante annum 1417 sive post, modum agendi regum Hungariae circa electionem praelatorum dissimulaverint toleraverintve, ius illud praelatos praesentandi alii quam regibus pro tempore existentibus implicite saltem collatum fuisse gratis omnino asseritur.

Sac. Alexander Szentirmai

MATRIMONII CONVALIDATIO ET HAERESIS ABIURATIO

Candida, nata in Kenya ex parentibus anglicanis, vix nata valide baptizata est a ministro anglicano. Adolescens cum parentibus domicilium civile Londinum transtulit, ibique viginti duos annos habens matrimonium contraxit cum Alexandro, non baptizato. Ob mariti vitam immoralem matrimonium infelicem habuit exitum, et post duos annos illud civilis divortii sententia declaratum est dissolutum. Candida e patria discessit et habitare coepit in Italia, in aliqua magna civitate. Ibi eam amore prosequi coepit Antonius, vir honestus et bonus catholicus. Certior redditus ab ipsa Candida de suis vitae vicissitudinibus, Antonius eam invitat ad adeundum parochum, ut sciat quid tamquam catholicus facere possit. Parochus audiens quod agitur de matrimonio inter personam Anglicanam et infidelem, absque ulla haesitatione declarat hoc esse nullum matrimonium et ex hoc capite nihil obstare: Candida ergo ab Ecclesia catholica consideratur libera ad ineundum matrimonium coram Ecclesia. Obstat quidem impedimentum mixtae religionis. Cum autem Candida declaret se fovere simpathiam pro fide catholica et paratam esse dare et libenter adimplere cautiones requisitas, parochus ab Ordinario petit et obtinet dispensationem ab hoc impedimento.

Influxu Antonii Candida, conscia se non posse duos filios natos bene educare in religione catholica nisi ipsa praebeat exemplum, adit Hubertum sacerdotem, et petit ut ipse velit eam praeparare ad ingressum in Ecclesiam et deinde eam in Ecclesiam recipere. Decursu instructionis, cum Candida iam est fere praeparata, et dies receptionis iam approximative determinata, Hubertus ex pluribus verbis suae discipulae acquirit prius suspicionem, deinde certitudinem, quod Candida et Antonius vivunt in matrimonio invalido. Cum autem ei omnino certum sit quod ambo sunt in perfecta bona fide et laborare ignorantia facti invincibili, prudenter tacet de hac re. Candida insistit ut abiuratione possit cito admitti in Ecclesiam catholicam et frequentare sacramenta. Hubertus autem non videt quomodo possit coram Candida iustificare dilationem notabilem, quin destruat coniugum bonam fidem. Ad evitanda gravissima damna petit ab Ordinario licentiam et facultatem recipiendi Candidae abiurationem haeresis, et sic eam recipiendi in Ecclesiam, ut possit absolvi a peccatis et recipere alia sacramenta, praesertim SS. Eucharistiam, quam vehementer pie desi-

derat. Simul Ordinario promittit quamprimum incipere ea, quae facienda sunt ut matrimonium, si hic fieri possit, convalidetur.

Non leviter miratus Hubertus obtinet responsionem, in qua Ordinarius declarat Candidam non posse recipi in Ecclesiam catholicam, nisi prius matrimonium suum cum Antonio sit convalidatum. Dubitans de rectitudine responsionis, casum proponit canonistae. Interim reverenter se subiicit decisioni Ordinarii sui et laudabiliter.

Solutio casus.

I. Nemo non videt parochum Antonii commisisse errorem enormem; quasi incredibilem. Attamen, facta quae constant non possumus negare, quia sunt quasi incredibilia. Quilibet sacerdos iam ex cursu seminaristico tam theologiae moralis quam iuris canonici scit, quod etiam matrimonia celebrata absque forma canonica sunt valida, quoties uterque contrahentium non sit baptizatus in Ecclesia catholica, neque ad eam conversus (can. 1099). Praesertim autem parochus male egit, quia in re ita extraordinaria omisit casum deferre ad viros magis competentes et Ordinario denuntiare totam rem. Neque facile intelligitur quomodo Ordinarius dare potuerit dispensationem ab impedimento mixtae religionis, quin prius a parocho exegerit et obtinuerit positivam affirmationem Candidam seu partem acatholicam numquam prius contraxisse aliquod matrimonium, *saltem civile,* sive validum *sine invalidum,* ne violetur saltem praescriptum can. 1069 § 2.

II. Matrimonium inter Candidam et Alexandrum, sive sit celebratum civiliter tantum sive solummodo coram ministro Anglicano, est validum (nisi habeatur causa nullitatis *specialis*, e. g. impedimentum consanguinitatis). De hoc autem in casu nihil dicitur. Cum autem sit matrimonium inter personam baptizatam et personam non baptizatam, illud potest a Summo Pontifice dissolvi, potestate illa extraordinaria quae vocari solet ministerialis, exercenda in favorem fidei. Haec potestas comprehenditur sub privilegio fidei. Cum insuper hoc matrimonium non sit celebratum cum dispensatione ab impedimento disparitatis cultus, quia hoc impedimentum in casu non obstat (can. 1070), habetur casus in quo Summus Pontifex etiam solet uti hac potestate, in favorem fidei. Dissolutionem in casu esse in favorem fidei nulli dubio obnoxium est. Recursu igitur ad S. Sedem, in specie ad S. C. S. Officii, perveniri potest ad matrimonii inter Candidam et Antonium convalidationem. Re-

cursus etiam omnino necessarius est, cum non agatur de casu Apostoli neque de casu qui regitur can. 1125.

III. Clarum est quod convalidatio per recursum ad Apostolicam Sedem non absolvitur intra brevis temporis spatium. Merito igitur Hubertus desiderat Candidam in sinum Ecclesiae recipere antequam convalidatio fuerit peracta. Quaestio nunc movetur utrum hoc sit possibile et commendandum, an impossibile aut non commendandum?

IV. Meo iudicio convalidatio matrimonii et Candidae receptio in Ecclesiam catholicam per iuridicam abiurationem haeresis sunt duo negotia, quae tractari debent independenter ab invicem. Prout apparet ex casus positione, Antonius et Candida sunt in perfecta bona fide. Ipsi practice nequeunt dubitare de validitate matrimonii, quod contraxerunt post consilium petitum a parocho et coram eo, cui sincere exposuerunt totum casum cum omnibus suis adiuntis; insuper post dispensationem obtentam ab Episcopo. Iam quin adsint haec adiuncta specialia multi, acatholici et catholici, praesertim ii qui vivunt in regionibus ubi fere numquam audiunt de matrimoniis acatholicorum, firmiter persuasum sibi habent, quod matrimonia non inita *coram Ecclesia* (matrimonia non ecclesiastica ut aiunt) ab Ecclesia et in foro Ecclesiae non habentur matrimonia vera et valida. Huiusmodi personae graviter mirari solent, quando aliquis eos docet hoc non esse verum. Deinde, invaliditas matrimonii Candidae est aliis prorsus ignota. In Italia nemo cognoscit eius vitae peractae in Anglia vicissitudines. Ibi nemo amplius de ea cogitat. Nemo nisi Hubertus et Ordinarius, forsitan aliquis canonista, cui Ordinarius casum proposuit, rerum veritatem cognoscunt. Hi autem tacebunt.

V. Quaestio de receptione Candidae in Ecclesiam ante convalidationem matrimonii proprie est: utrum mulier, quae bona fide ignorans invaliditatem sui matrimonii et proinde bona fide maritaliter vivit cum viro qui non est verus suus maritus (et qui versatur in eadem bona fide) possit licite recipi in Ecclesiam catholicam?

Mihi videtur nullam haberi causam quare hoc esset illicitum. Liceitas huius receptionis est omnino independens a validitate et proinde a convalidatione matrimonii. Etiam si matrimonium Candidae et Alexandri nullo modo posset dissolvi, puta si etiam Alexander esset baptizatus et proinde haberetur matrimonium ratum et consummatum, Candida posset licite recipi in Ecclesiam et deinde

recipere sacramenta. Nam id quod requiritur ad licitam administrationem et licitam receptionem sacramentorum non est status *obiectivus* rerum exteriorum, sed status animae seu status conscientiae personae recipientis. Ut sacramenta recte administrentur et recipiantur requiritur et sufficit in persona recipiente bona dispositio. Porro, bene dispositus est ille, qui habet voluntatem faciendi ea, quae scit se debere facere, et insuper prudenter facit ea ad quae est obligatus ad cognoscendam veritatem circa suas obligationes. Candida habet hanc bonam voluntatem independenter a convalidatione sui matrimonii. Haec bona voluntas non est effectus futurus matrimonii convalidati.

Idem etiam apparet ex hoc quod Antonius quoties accedat ad Hubertum et contritus confiteatur sua peccata, ab eo valide et licite absolvitur. Hubertus graviter deficeret suo officio confessarii, si ob suam scientiam de invaliditate matrimonii Antonio denegaret absolutionem. Haec est doctrina communissime recepta, et clara ex seipsa.

VI. Sequitur quod Candida licite recipi potest in Ecclesiam independenter a matrimonii convalidatione. Etiamsi Alexander esset baptizatus et proinde matrimonium primum esset indissolubile, ideoque matrimonium secundum convalidari non posset, Candita potuisset, imo debuisset, recipi in Ecclesiam; absolvi a peccatis; si casus ferret sub conditione baptizari ob dubium leve sed attendibile [1]. A fortiori Candida licite recipi potest si, ut in casu habetur, adsit certitudo quod matrimonium interventu Apostolicae Sedis convalidabitur antequam coniuges putativi amittent bonam fidem [2]. Conclusio: Ordinarius loci non recte egit denegando Hu-

---

[1] Immo, etiamsi Candida cognosceret invaliditatem sui matrimonii, sed non esset parata ad finem imponendum vitae coniugali cum Antonio, ipsa posset licite abiuratione haeresis recipi in Ecclesiam catholicam. Non autem posset absolvi a peccatis aliave recipere sacramenta. Nam Ecclesia non est societas constans iustis, sed constans iustis *et peccatoribus*. Si quis manet membrum Ecclesiae, etsi perseveret in statu peccati gravis, puta in adulterio, quare non posset abiuratione (quae non exigit statum gratiae) in iisdem adiunctis fieri membrum Ecclesiae. Clarum est quod huiusmodi persona, non rite disposita, nequit licite recipi in Ecclesiam, si non adhuc sit baptizata. Sed ratio huius est, quia infideles non recipiuntur in Ecclesiam nisi baptismatis receptione, et baptisma licite dari nequit personis non bene dispositis. Stricte loquendo Candida utpote baptizata iam pertinet ad Ecclesiam Christi unicam seu Catholicam Romanam. Id quod facit nihil aliud est quam abiurare publice (iuridice) et reiicere et relinquere haeresim. Hic est actus bonus et obligatorius, etiamsi fiat a peccatore.

[2] Bonum privatum coniugum putativorum in casu non exigit, immo potius

berto facultatem recipiendi Candidam iam nunc in Ecclesiam catholicam. Hubertus e contra bene egit quaerendo hanc facultatem cum intentione statim recipiendi Candidam in Ecclesiam, iam independenter a periculo ne perturbaretur bona fides coniugum putativorum; a fortiori cum hoc periculum urget.

VII. Patet autem quod Hubertus tenetur facere ea quae facienda sunt, ut matrimonium convalidetur.

Si Alexander esset iam defunctus, etsi post celebrationem matrimonii inter Antonium et Candidam, hoc matrimonium esset invalidum et non convalidatum sola cessatione impedimenti dirimentis (vinculi). Vi legis ecclesiasticae enim matrimonium invalidum non convalidatur nisi renovatione consensus, quae debet esse actus voluntatis in matrimonium quod ab eo qui consensum renovat cognoscitur ab initio fuisse invalidum (c. 1134). A. v. ille qui debet renovare consensum, debet scire quod consensus renovatio hic et nunc *requiritur et fit ad convalidandum matrimonium* (saltem ad cautelam, si invaliditas sit dubia).

In hac suppositione, i. e. quod Alexander iam est e vita ereptus, haberentur duo modi convalidandi matrimonium, scilicet:

a) Partes certiores reddere de invaliditate matrimonii et statim eos admittere ad convalidationem renovatione consensus coram parocho vel sacerdote delegato a parocho vel ab Ordinario (can. 1094) et duobus testibus (can. 1135 § 1).

b) Adire S. Sedem et petere sanationem improprie dictam, quae revera nihil aliud est quam dispensatio in lege de renovando consensu seu in lege cann. 1133-1134 statuta. Haec sanatio sufficit. Filii nati enim iam sunt legitimi, utpote nati ex matrimonio putativo *celebrato coram Ecclesia*. Retrotractio effectuum igitur non est magni momenti. Petendo tantummodo sanationem improprie dictam seu meram dispensationem in lege ecclesiastica de renovando consensu, et non sanationem proprie dictam evitatur, ut convalidatio per sanationem denegetur ob can. 1139 § 2, qui decla-

---

prohibet tollere eorum ignorantiam et bonam fidem. Bonum commune in casu non obligat ad eam tollendam. Omnes homines tenent istos duos vivere in matrimonio valido; nullum datur scandalum. Periculum ne relinquere in bona fide causet damnum vel scandalum communiter minus imminet, quoties agatur de errore *facti*, quam quoties agatur de errore *iuris* (legis; doctrinae). Error Candidae et Antonii est error *facti*. Ipsi bene sciunt quod non licet maritaliter vivere, si matrimonium non sit validum; sed ignorant suum concretum matrimonium esse invalidum.

rat Ecclesiam non sanare in radice matrimonium invalidum ob impedimentum iuris divini (e. g. impedimentum vinculi), ne a momento quidem cessationis impedimenti. Haec regula agit de sanatione proprie dicta [3], non de sanatione improprie dicta, quae nihil aliud est quam dispensatio in lege ecclesiastica. Quod autem Ecclesia in casu Candidae et Antonii dispensationc ab hac lege matrimonium validum reddere potest, nulli dubio obnoxium est, quia constat partes elicuisse verum consensum matrimonialem eumque non retractasse.

Utrum hoc vel illud medium sit praeeligendum dependet ab adiunctis concretis. Per se primum medium est eligendum, quia est medium ordinarium et magis expeditum. Dispensatio igitur non est petenda, nisi convalidationi renovatione consensus in casu adnexa sunt gravia incommoda aut grave periculum, puta quia Candida notitia invaliditatis sui matrimonii nimis perturbaretur spiritu propter suum statum salutis praesertim psychicae; aut quia datur periculum ne alterutra pars, certior facta de matrimonii invaliditate, non parata erit ad renovandum consensum, quod erit in grave detrimentum alterius partis et magis adhuc filiorum, et saepe non sine gravi scandalo publico.

VIII. In nostro casu autem Alexander adhuc est inter vivos. Quapropter nulla datur possibilitas renovatione consensus matrimonium convalidandi. Recursus ad Apostolicam Sedem est omnino necessarius, nam solus Summus Pontifex potest sua potestate ministeriali et extraordinaria hoc matrimonium solvere, et sic amovere impedimentum vinculi. Hubertus igitur debet, sive directe sive per Ordinarium (quod melius est nisi habeatur obstaculum) insciis partibus casum deferre ad S. Sedem et petere ut Ipsa in favorem fidei dissolvere dignetur matrimonium inter Candidam baptizatam et Alexandrum non baptizatum, indicans quomodo ipse habeat certitudinem moralem Alexandrum non esse baptizatum; saltem non fuisse baptizatum momento quo vita coniugalis est cessata.

Solo dissolutione prioris matrimonii secundum matrimonium non convalidatur. Haec convalidatio post solutionem fieri potest duobus modis: 1. Renovatione consensus. Non raro Apostolica Sedes prius matrimonium solvit adnectendo hunc effectum convalidationi secundi matrimonii per consensus renovationem (ita ut convalidatione alterius matrimonii, prius matrimonium solvatur, prout etiam fit in casibus quos regit can. 1125). 2. Sine renovatione

[3] L. Bender, *Sanatio in radice et impedimentum iuris divini*, in *Ephem. iur. can.*, 1957.

Bisogna avvertire, e piangere di gioia, che Dio stesso è venuto in nostro soccorso, e ha instaurato la nuova e grande economia della misericordia [48].

---

[44] Si può vedere il resoconto della prima seduta della « Semaine des Intellectuels Catholiques, 1956, nel volume *Monde Moderne et Sens du Peché*. Horay, Paris, 1956.

MONTANARI, *Il peccato*. Studium, Roma, 1946.

Initiation Theologique, III: VERGRICKE, *Le Péche*,. p. 275, ss.

J. LECLERCQ, *Préliminaires à une théologie du péché* nel volume: *Morale sans péché* della collezione *Recherches et Débats*, vol. 11, 51-72.

[45] *Mt.* 3, 2; 4, 17 — « Fate penitenza, perchè il Regno dei cieli è vicino ». *Atti* 2, 38.

[46] Cfr. MARITAIN, *Tre Riformatori*, su *Rousseau, ossia il santo della natura;* p. 127 ss. Morcelliana, Brescia.

[47] Cfr. L'esistenzialismo senza speranza della letteratura contemporanea — cfr. *Études*, ONIMUS, *Le rire contemporain*. Février 1961. — cfr. PASCAL, *Pensées*, 526, 527.

[48] *Eph. I.*

43. - Come si entra in questa economia, cioè in questo piano di salvezza?

Con la fede. La fede è il principio della nostra giustificazione [49]. La fede ha perciò un aspetto ed una funzione morale di primissimo ordine. « Senza la fede è impossibile piacere a Dio » [50].

44. - Ma la fede non è che un inizio, una condizione. Occorre un positivo intervento di Dio, e si chiama la grazia. Questa ci è conferita, dapprima, col Santo Battesimo. Il Battesimo è un avvenimento capitale nella vita dell'uomo. Sappiamo quali effetti esso produca, elevandoci ad uno stato di vita che è sopra la nostra natura, perché ci rende, in un certo modo, partecipi della natura divina [51] e figli adottivi di Dio. E' una fortuna inestimabile, è un destino ineffabile. Ma ciò che ora qui a noi importa notare si è che il Battesimo comporta una forma di vita nuova. E' un impegno solenne; è un'esigenza imprescindibile; è l'inaugurazione d'uno stile umano originale.

Non avremo mai abbastanza riflesso a questa stupenda novità, che il Battesimo deve introdurre nel nostro modo di concepire la vita e nella nostra maniera di guidarla e di spenderla. Di qui sorge il costume, che deve chiamarsi cristiano. Di qui deve prendere alimento la coscienza, che vuol onorarsi di tanto titolo. E di qui dovrebbe nascere quel modo di valutare le azioni umane, che abbiamo chiamato il « senso morale cristiano »; esso affonda le sue radici nel ricordo e nel carattere del battesimo, e si esprime tutto guardando, tutto apprezzando, tutto regolando secondo la ispirazione, che diventa spontanea e quasi connaturata, dell'« uomo nuovo », rigenerato dal Battesimo. Oh, quanto è necessario che questa basilare concezione della vita riprenda luce e vigore nel cristiano d'oggi! L'assuefazione a questo mistero e a questo impegno, la dimenticanza dei sacri e nobili doveri che ne derivano, il progressivo conformismo al « mondo » profano e corrotto, il facile e sciagurato ripudio che molti fanno della loro fede, la troppo frequente abitudine a non vivere in grazia di Dio dànno spesso del cristiano d'oggi una immagine deforme e degenere. Bisogna restaurare in noi la coscienza del Battesimo per restaurare in noi il volto cristiano.

45. - Sarà possibile questa restaurazione pensando che l'anima desiderosa di conquistare e conservare questa sovrana bellezza non è sola ad operare. Oltre l'azione divina della grazia, ch'è sola veramente operatrice della nostra salvezza, altri ausilii ci sono vicini: il Libro santo, la partecipazione ai Sacramenti, l'insegnamento e l'assistenza della Chiesa, l'esempio e la compagnia dei Santi. Ognuno di questi

---

[49] Conc. Trid., Sess. VI, 8, *Denz.*. 801. *Hebr.* 10, 38.
[50] *Hebr. 11, 6.*
[51] *2 Petr. 1, 4.*

punti meriterebbe ampio commento. Ma chi, del resto, comprende il valore di questi sussidi, concorrenti a fare dell'uomo un cristiano buono e forte, e chi soprattutto ne fa schietta esperienza, ben sa quale « senso morale cristiano » scaturisca da queste sorgenti [52].

EDUCAZIONE DEL SENSO MORALE E CONCLUSIONE

46. - Il senso morale è educabile [53].

Vorremmo che questo assioma pedagogico fosse più che mai presente a tutti i cristiani, che avvertono il disagio provocato dalla scena del nostro mondo e dal trasformarsi del costume. La decadenza morale, ch'è evidente d'intorno a noi, fa soffrire i buoni e quanti amano veramente la vita. Non bisogna perdersi d'animo, e credere che per essere moderni occorra arrendersi all'indifferenza o alla transigenza morale. Cambiano le condizioni esteriori della vita, cambiano i costumi, ma non cambiano i principii che fanno buona e cristiana la nostra esistenza.

47. - Se l'uomo progredendo non resta buono — cioè uomo vero — e non progredisce anche nel senso morale, non si può dire che abbia, alla fine, giovato a se stesso. Donde l'importanza del problema morale. D'altra parte, la vita morale non può e non deve essere concepita come un ostacolo agli sviluppi della civiltà moderna, dai quali vengono queste trasformazioni del costume popolare e della legge positiva, sì bene una guida ed una tutela di tali sviluppi, anzi uno stimolo ed un termine loro; e perciò dobbiamo cercare la vita morale, non già nelle sue espressioni contingenti e mutevoli, come possono essere le tradizioni popolari, i costumi tradizionali, le norme positive transitorie o arbitrarie, ma nelle sue radici profonde, nei suoi elementi essenziali e perenni, nelle sue esigenze necessarie, nelle sue leggi intangibili sia naturali, che cristiane; e dobbiamo perciò confortare la nostra capacità di scoprire, ad ogni passo, e di attuare l'aspet-

---

[52] Vorremmo consigliare in modo particolare la lettura, sovente ripetuta, del discorso della montagna nel Vangelo di S. Matteo, c. V-VII, e, per chi recita il Breviario, l'amore ai Salmi, al 1° e al 118°, ad esempio.

[53] Cfr Roberto Zavalloni, *La formazione del senso morale in Pedagogia e Vita.* Febb.-Marzo 1958, pag. 240-250.

Delcuve G., *Le problème de la formation religieuse dans le monde moderne.* Fasciolo n. 4 (1949) di « Lumen vitae ».

Zarncke L., *Enfance et conscience morale.* Ed. du cerf., Paris, 1955.

Gemelli, *Psicologia dell'età evolutiva.* Giuffré, Milano, IV ediz. 1955.

Nosengo, *L'educazione morale del giovane.* « La Scuola », Brescia, 1955.

Lacroix, *I sentimenti e la vita morale.* Ediz. Paoline, 1955.

Kunz, *Il sentimento di colpa negli adolescenti.* S.E.I. Torino 1955.

to veramente morale e cristiano del nostro operare; dobbiamo, in una parola, ristabilire in noi un vivo ed operante senso morale cristiano.

48. - A questa più forte e più profonda educazione del senso morale gioverà grandemente, com'è ovvio, l'*educazione della coscienza personale.*

Non si tratta qui di scienza morale o d'indagine psicologica, sebbene l'una e l'altro possano contribuire a dare alla coscienza morale maggiore chiarezza e sicurezza. Si tratta di mettere in esercizio «il cuore», cioè l'intimo giudizio dell'anima su la bontà o la malizia del proprio operare. Bisogna ricordare che alla radice della nostra crisi morale sta l'oscuramento dei concetti di bene e di male. Il lecito e l'illecito sono oggi segnati non più da una legge interiore, ma da una legge positiva esteriore, anche questa sempre meno sentita e sempre più chiamata in discussione. Il bene ed il male vanno identificandosi con l'utile e col nocivo, spesso così mediocremente e vilmente concepiti da non arrivare oltre il segno del proprio piacere o della norma convenzionale dell'etichetta o dell'igiene. A richiamare invece la responsabilità del nostro agire di fronte a Dio vale assai l'esercizio della buona coscienza [54].

49. - Cristo ci ha fortemente richiamato a tale esercizio con una speciale e ripetuta raccomandazione: *la vigilanza.* La sua non è una religione che assopisca o addormenti; è una religione che sveglia lo spirito, e lo obbliga a percepire con tesa attenzione quanto avviene dentro e fuori: «Siate vigilanti» [55]. E perciò ripeteremo noi stessi a Suo nome per queste nostre contigenze che esigono una più pronta ed acuta percezione morale: siamo vigilanti. Ognuno oggi deve avere da sè l'avvertenza dei pericoli e dei mali circostanti; ognuno deve sapersi la sè maggiormente difendere ed immunizzare. Il senso critico del bene e del male, la scelta personale del primo e la franca rinuncia al secondo, la vivacità dell'autocontrollo devono essere allenati all'affermazione della personalità morale, con stile nuovo, disinvolto e fermo, degno sempre del nome cristiano.

50. - Scuola di vigilanza interiore è l'*esame di coscienza.*

Sì, questo antico e umile esercizio della buona ascetica cristiana è quanto mai provvido e moderno. La saggezza profana lo ebbe in

---

[54] Georges Leclercq, *La conscience du chrétien,* Aubier, Paris, 1946; p. 241 ss.

Guardini, *La coscienza.* Morcelliana, Brescia, 1933.

Si veda Pio XII, *Coscienza cristiana come oggetto dell'educazione.* Radiomessaggio, 23 marzo 1952, AAS, 1952, p. 270 ss.

[55] *Mt.* 24, 42; 25, 13; 26, 38 e 41; *Lc.* 12, 37; 21, 36 etc. cfr. *Ap.* 3, 2.

onore [56], quella cristiana ne ha fatto una norma di quotidiana applicazione per quanti vogliono camminare su la via di Cristo [57]. Il famoso « conosci te stesso » trova nell'esame di coscienza la sua sapiente fecondità, e quando questa autoesplorazione è fatta nello specchio della luce di Cristo, l'analisi su se stessi non è più narcisismo morbido e vano, ma scoperta di sè nella sincerità tesa verso la perfezione.

51. - E questa scuola ha una guida: *la direzione spirituale.*

Conosciamo che cosa è l'assistenza, offerta col consiglio e con l'esortazione, da un Sacerdote ad un fedele, affinché questi meglio conosca se stesso e meglio il dovere che gli è proprio, e possa progredire nella formazione della sua personalità spirituale in ordine a Dio. Non è perciò subordinazione passiva d'un'anima ad un superiore propriamente detto, la cui autorità crei preciso dovere d'obbedienza [58], ma l'aiuto autorevole e riservato d'una guida esperta ed amica per lo sviluppo della coscienza morale e delle energie personali di chi liberamente sceglie e vuole quell'aiuto. La direzione spirituale ha una funzione bellissima e si può dire indispensabile per l'educazione morale e spirituale della gioventù, che voglia intraprendere e seguire con assoluta lealtà la vocazione, qualunque essa sia, della propria vita; e conserva sempre importanza benefica per ogni età della vita, quando al lume e alla carità d'un consiglio pio e prudente si chieda la verifica della propria rettitudine ed il conforto al compimento generoso dei propri doveri. E' mezzo pedagogico molto delicato, ma di grandissimo valore; è arte psicologica di grave responsabilità in chi la esercita, è esercizio spirituale di umiltà e di fiducia in chi la riceve. Pensiamo che meriti ogni attenzione e rispetto in quanti hanno a cuore la formazione di un senso morale vigile e sicuro.

52. - Non possiamo tacere anche un accenno alla *Confessione Sacramentale,* come scuola incomparabile di senso morale. Ci basti una citazione del Manzoni: « Un'istituzione che obbliga l'uomo a formare un giudizio severo sopra se stesso, a misurare le sue azioni

---

[56] Ricordiamo, ad esempio, SÉNECA: « *Quotidie apud me causam dico totum diem mecum scrutor, facta et dicta remetior. Nihil mihi abscondo; nihil transeo* » (cfr. *Ep.* 83, 2; *De ira,* 3, 36, 1).

LEBRET et SAUVET, *Rajeunir l'examen de conscience,* in Economie et Humanisme. Paris, 1952, trad. Ed. Studium, Roma.

Cfr. *Gal.* 6, 4; *I Cor.* XI, 28.

[57] Cfr. Can. 125. — S. IGNAZIO, *Esercizi Sp.* I sett.

[58] G. LECLERCQ, *La conscience du chrétien,* Aubier, Paris, 1946, p. 247 ss. Si veda l'articolo « Direzione Spirituale » nel Dizion. Enciclopedico di Pedagogia, vol. 1. — S.A.I.E., Torino, 1958.

e le sue disposizioni col regolo della perfezione, che gli dà il più forte motivo per escludere da questo giudizio ogni ipocrisia, insegnando che sarà riveduto da Dio, è un'istituzione sommamente morale » [59].

L'educazione cattolica può avere nella pratica della Confessione sacramentale uno strumento efficacissimo di formazione [60]. Non ci resta che di raccomandare che l'esercizio di questo ministero sia compiuto non solo con zelo assiduo e paziente, ma anche con immensa cura e con squisita saggezza [61].

53. - L'educazione cattolica, anche sotto questo aspetto modernissima, deve portare il suo contributo originale e provvidenziale a quel programma pedagogico, che caratterizza la formazione dell'uomo ideale nella società contemporanea: l'autonomia della persona, il senso di responsabilità, l'autocontrollo, la capacità delle scelte, la coerenza nell'operare, il disinteresse e la coscienza del dovere sociale, l'iniziativa nel bene, la costanza nell'azione, la forza della resistenza, la generosità del sacrificio. Tutto questo siamo soliti ad indicare con una parola corrente: *carattere*. Gli antichi lo chiamavano *virtus*. Era ed è l'espressione dell'uomo vero, dell'uomo completo: e fa pensare al campione, all'eroe. Fa pensare al santo. All'uomo ideale dev'essere polarizzato il senso morale [62].

CONCLUSIONE

54. - Per concludere questa nostra esortazione ci sembra opportuno richiamare l'attenzione del nostro Clero e dei nostri fedeli su alcune tentazioni particolari, che richiedono oggi una viva presenza di senso morale. Accenniamo appena. Sono del resto le tentazioni classiche, che insidiano perennemente il cammino virtuoso dell'uomo col fascino della triplice concupiscenza.

---

[59] *Osservazioni sulla morale cattolica*. VIII, 3, ediz. S.E.I., Torino 1934., p. 241.

[60] Cfr. San Giov. Bosco, *Reg. Sal.*, art. 94: « La frequente Confessione, la frequente Comunione e la Messa quotidiana sono le colonne che devono reggere un edificio educativo, da cui si vuol tener lontane la sferza e la minaccia ».

[61] A. Grazioli, *La Confessione dei giovanetti*. Marietti, Torino, 1942.

Timon David, *Giovani al confessionale* (trad. dal fr.), Messaggerie Catt., Milano, 1956 — *La Confessione* a cura della comunità sacerdotale di Saint Séverin, (trad.), Corsia dei Servi, Milano, 1960.

[62] Cfr. Maritain, *Umanesimo integrale, introduzione*, p. 11. Studium, Roma, 1936 — cfr. sul concetto filosofico del Santo: Platone, *Eutifrone*.

55. - Vi è oggi una potente tentazione che viene dai beni temporali e dalle ricchezze economiche. La loro conquista pone la sua candidatura al primato del temporale, e lo ottiene nella concezione materialista della vita, sia proletaria che capitalista.

La speranza cristiana è soppiantata dalla speranza economica e sociale. Poi il loro maneggio disintegra il concetto di onestà: nel pagamento dei tributi, nel gioco di borsa, nella speculazione monopolistica, nell'imbroglio commerciale, nella « bustarella » clandestina, ecc.; l'interesse finisce per giustificare ogni scorrettezza possibile senza incorrere nel codice penale. Poi il loro godimento: il lusso, la vanità, il piacere, il divertimento, la mondanità sono diventati idoli a cui l'uomo moderno si fa dovere di sacrificare; la suggestione mondana si fa collettiva, la febbre dei sensi diventa endemica, la vita gaudente un ideale.

Bisognerà che il senso morale sia vigile e forte per mantenere nella vita il « primato dello spirituale », l'onestà della giustizia nel traffico delle cose, la sobrietà che conserva all'uomo la possibilità di godere dei beni di questo mondo senza rimanerne ubbriacato e degradato.

56. - Poi vi è la grande tentazione della carne. E' forse la più pericolosa oggi, perchè la più visibile, la più offerta, la più tollerata. L'« uomo animale » di San Paolo sembra avere il sopravvento nella letteratura, nello spettacolo, nella stampa, nella licenza dei costumi. L'argomento è triste ed immenso.

L'interesse vivissimo che circonda queste manifestazioni caratteristiche del nostro tempo, le potenzia di pubblicità travolgente ogni riparo. La critica stessa, sovente paga di giudizi tecnici ed estetici, si fa tollerante e talora complice dell'immoralità di certe esibizioni, classificate come culturali e artistiche.

Preghiamo i buoni di vigilare e di agire. Il senso morale non deve attenuarsi per il dilagare del male e delle forme che vi conducono. Autorità, genitori, educatori, cittadini onesti sono oggi tanto più obbligati a dar segno di sensibilità morale, in quanto la legge, lasciando indeterminati i criteri obbiettivi, ne fa quasi il solo criterio del lecito e dell'illecito. La difesa delle nuove generazioni, il bisogno di conservare forte ed integro l'istituto familiare, l'onore del popolo italiano, la dignità delle nostre espressioni artistiche, l'ampiezza accordata alle manifestazioni sane della vita, ma soprattutto il carattere sacro della persona umana, del battezzato specialmente, e l'imperativo amoroso e tremendo della legge di Dio devono infondere nel nostro senso morale nuova virtù; non tanto quella di spaurirsi e di scandalizzarsi, quanto quella di rivendicare ai valori positivi del pudore e dell'amore la loro integrità.

57. - Infine la terza tentazione, quella dell'orgoglio; tentazione difficile a definirsi, perchè penetra dappertutto. Noi cercheremo di sorprenderla, nel nostro mondo contemporaneo, dovunque l'uomo crede di essere fine a sè, di bastare a sè, di non doversi occupare che di sè; dove cioè l'uomo diventa l'idolo di sè stesso, e nega, a parole o a fatti, quel preambolo della legge di Dio, dal quale il resto dei suoi comandamenti prende forza: « Io sono il Signore Dio Tuo; primo: non avrai altro Dio fuori di me ». L'ateismo, che lo nega; il laicismo, che lo esclude; l'indifferenza, che lo trascura; l'affanno esclusivo per le cose di questo mondo, che lo dimentica; l'edonismo, che lo sostituisce con effimeri piaceri, sono tutte forme, con tante altre, della eterna tentazione che interrompe l'asse morale teso fra l'uomo e Dio, e lo interrompe al livello umano, quasi fosse il supremo, e quasi bastasse a ben governare la vita. Questa è la illusione moderna che s'insinua in ogni ceto sociale, in ogni età, in ogni uomo, che respira l'atmosfera ebbra della potenza del nostro mondo.

Il senso morale cristiano dà altro e più vero e più vivo respiro alla vita; le dà aria di cielo; cioè le restituisce la sua orientazione trascendente, la quale mentre le fa sperimentare, sì, l'umiltà della sua vera statura, le apre la visione e l'aspirazione della Realtà infinita e le dà garanzia di poterla raggiungere per la grazia che da quella Realtà divina le viene in aiuto.

58. - Con questo noi non ci erigiamo ad oppositori o a critici incontentabili del mondo che ci circonda e in cui la Provvidenza ci ha destinati a vivere; sì bene ci vogliamo professare ammiratori ed amici, anche se guardiamo al mondo come seguaci della Croce. Il mondo circostante, dicevamo, è tutto un fermento di attività e di progresso, è tutto in trasformazione: scienza, tecnica, industria e cultura cambiano intorno a noi ogni cosa. Salutiamo con piacere questa rapida e sfolgorante evoluzione; ma non vogliamo lasciarci prendere dalla vertigine, che ci faccia smarrire il vero senso della vita, cioè il senso morale. Questo deve stare anzi più sveglio e più attivo, e deve mantenere l'uomo nel suo vero equilibrio, condizione indispensabile non solo per raggiungere il proprio fine ultraterreno, ma anche per non essere vittima delle sue stesse conquiste.

Noi vogliamo che alla conquista del mondo esteriore l'uomo congiunga quella della perfezione interiore. L'uomo deve restare uomo; anzi deve progredire moralmente, quanto più, progredendo materialmente, potrebbe volgere a proprio danno la sua grande fatica. Deve perciò restare cristiano, e sempre meglio comprendere e vivere questa salvatrice vocazione; e nel travaglio di questa critica congiuntiva deve ricordare le parole di Cristo, che lo svegliano a nuovo senso morale: « Vigilate e pregate per non cadere in tentazione ». [63]

---

[63] Mr. 14, 38.

(*Rivista Diocesana Milanese*, 1961 v. 50, pp. 81-103).

CHRONICA

ACTA IOANNIS PP. XXIII

LITTERAE APOSTOLICAE MOTU PROPRIO DATAE:

10 Martii 1961 — *Ius optionis in Dioecesibus Suburbicariis abrogatur. Ob mutatas rerum condicionem et auctum incolarum numerum, visum est Summo Pontifici expedire ut, iis quae in can. 236, p. 3 C. J. C. statuuntur abrogatis, nominationes Cardinalium Episcoporum ad Suburbicarias Sedes, ad Summum Pontificem pertineant.* (*A.A.S.*, - 28 aprilis 1961, vol. 53, p. 198).

SACRA CONSISTORIA:

16 Martii 1961 — I) *Consistorium secretum*:
Provisio Ecclesiarum.
Relatio Causarum.
Praestatio iuramenti.
Postulatio Palliorum.
2° *Consistorium publicum.* (*A.A.S.*, - 28 Aprilis 1961, vol. 53, pp. 199-205).

EPISULAE APOSTOLICAE:

19 Martii 1961 — *Ep. Ap. « Le voci » — Ad locorum Ordinarios et christifideles catholici orbis: de pietate erga S. Iosephum, universalis Ecclesiae Patronum, cuius praesidium ad cogendum Concilium Vaticanum II imploratur. Nostrum hoc saeculum dum laberetur, cultum Sancto Iosepho praestitum haud raro Romani Pontifices commendarunt: Pius IX, etenim, S. Iosephum proclamavit universae Ecclesiae Patronum, quem Leo XIII exemplar opificum et patrisfamilias edixit; S. Pius X spiritualia bona ad augendum cultum erga Deiparae Sponsum pluries concessit: Benedictus XV nova praefatia canoni Missae addidit, et catholicam de S. Iosepho doctrinam illustravit; Pius XI et Pius XII sermonem de Sancto saepe saepius instauraverunt. Nunc vero, Oecumenico Concilio Vaticano secundo feliciter instante, unde tanta sperantur spiritualia commoda obventura, ne sollemni congregando coetui caelestis Patroni peculiaris desit adsistentia, ad id officii S. Iosephus deligitur, Quem Dominus constituit super familiam suam.* (*A.A.S.*, - 28 Aprilis 1961, vol. 53, pp. 205-213).

2 Aprilis — *Nuntius Urbis et Orbis christifidelibus datus die Paschatis Resurrectionis Domini Nostri Jesu Christi. « Ego sum Resurrectio et vita » Paschatis recurrente die festo, mysterium celebratur Christi Regis immortalis populorum ac temporum, Qui universo hominum generi solamen affert, animumque addit non tantum ad aeterna comparanda sed etiam ad prospera, hac in mortali vita, consequenda. Excitantur ideo homines ut altiora cuncta adpetent, vilia devitent. Omnia deinde promit vario adstantium sermone.* (*A.A.S.*, - 29 Aprilis 1961, vol. 53, pp. 193-197).

11 Aprilis 1961 — *EPISTULA APOSTOLICA « Celebrandi Concilii Oecumenici » Ad Venerabiles Fratres Patriarchas, Primates, Archiepiscopos, Episcopos aliosque locorum Ordinarios pacem et communionem cum Apostolica Sede habentes: de supplicatione habenda proximo Festo Pentecostes pro Concilio Oecumenico Vaticano II.* (*A.A.S.*, - 6 Maii 1961, vol. 53, pp. 241-242).

13 Aprilis 1961 — *CONSISTORIUM SEMIPUBLICUM* (*A.A.S.*, - 6 Maii 1961, vol. 53, pp. 243-244).

12 Iunii 1960 — *LITTERAE DECRETALES « Sacratissima verba » Beato Ioanni de Ribera, Pontifici et Confessori, Sanctorum honores decernuntur.* (*A.A.S.*, - 29 Martii 1961, vol. 53, pp. 129-141).

CONSTITUTIONES APOSTOLICAE:

25 Iunii 1960 — *Melensis (Fodinensis) Const. Ap. « Cum Venerabilis » Quibusdam detractis territoriis e dioecesi Melensi, alia dioecesis conditur, « Fodinensis nomine ». Novam hanc dioecesim, cuius erectionem postulaverat Apostolicus Nuntius in Republica Uruquariana, constituit integrum territorium civilium regionum quae vocantur: « de Lavallaja, Rocha, et Maldonado ». Sedes episcopalis in urbe « Minas » ibique in templo Deo in honorem Beatae Virgini Immaculatae sacro, cathedra iurisdictionis collocabitur. Metropolitano Archiepiscopo Montisvidei suffrageneus oboediet episcopus Fodinensis. Cetera ad normam iuris communis conficientur* (*A.A.S.*, - 29 Martii 1961, vol. 53, pp. 142-144).

25 Iunii 1960 — *Pelotensis — Uruguarianensis (Bagensis) Const. Ap. « Qui divino » Detractis quibusdam territoriis e dioecesibus Pelotensi et Uruguaianensi, nova dioecesis efficitur « Bagensis » nomine. Sacris Praesulibus ecclesiarum Pelotensis et de Nadal rite auditis, necnon Ordinariis Antistibus provinciae ecclesiasticae Portalegrensis in Brasilia, Apostolicae Sedi ad rem admovit preces Apostolicus in Brasilia Nuntius, quas libenter admisit Romanus Pontifex, fidei sinceritate christianam plebem alere studens. Nomen novae dioecesi inditum, de urbe « Bage » est sumptum, in qua*

cathedram episcopalem collocabit Praesul. Portalegrensi metropolitae suffraganeus erit. (*A.A.S.*, - 29 Martii 1961, vol. 53, pp. 144-146).

5 Iulii 1960 - *Bahamasensis* (*Nassaviensis*) *Const. Ap.* « *Sicuti grandio* » *Vicariatus Apostolicus Bahamasensis ad gradum dioecesis attollitur,* « *Nassaviensis* » *appellandae. Laudanda sacerdotum sollertia, haud exigue christifidelium merita, ardens operum rerumque vigor copiosos in hac regione iam attualerunt fructus, copiosiores vero in posterum pollicentur. Haec considerans Apostolicus in Americae Statibus Foederatis Delegatus, porrexit de nova dioecesi preces, quas benigne excepit Summus Pontifex. Cuncta postea exequenda statuuntur quae ad rectum ecclesiam moderamen praecipi adsolent.* (*A.A.S.*, - 6 Maii 1961, vol. 53, pp. 249-250).

2 Augusti 1960 — *SS. Assumptionis, SS. Conceptionis in Paraguay* (*Caacupensis*) *Const. Ap.* « *Qui aeque* » *Detractis quibusdam territoriis ab Ecclesiis SS.mae Assumptionis et SS.mae Conceptionis in Paraguay, Praelatura Nullius conditur, cuius nomen* « *Caacupensis* » *erit. Omnes impendit Ecclesia sancta curas ut, universi homines, Christi Sanguine redempti, iis suppeditatis quae ad aequiorem religionis usum conducunt, facilius possint aeterna bona comparare. Quas ergo postulationes Apostolicus in Paraquaria Republica Nuntius Apostolicae Sedi porrexit, benigna mente sunt admissae. Novae autem Praelaturae, Caacupensis ab urbe Caacupe appellandae, describuntur fines. Praelatus qui Ordinario SS.mae Assumptionis erit suffraganeus, notis tenetur praescriptis de seminario, de clero et de ceteris.* (*A.A.S.*, - Maii 1961, vol. 53, pp. 2511253).

5 Augusti 1960 — *Sideropolitanae Const. Ap.* « *Magna quae* » *Administratio Apostolica, cui nomen Burgenland, in Austria, ad dioecesis dignitatem evehitur, nomine Sideropolitanae. Florere videntur in ista Apostolica Administratione, res catholicae et christifideles in veritate crescere: iam enim extat Curia, iam seminarium alumnis ad sacerdotium adparandis. Inita ergo Conventione cum Reipublicae Moderatoribus, de consilio Apostolici in Austria Nuntii, dioecesis constituitur quae hactenus fuit Administratio Apostolica, Sideropolitana appellanda iisdem terminata finibus ac antea, et Vindobonensi metropolitanae subiecta. Quoad cetera temperandum erit normis iuris communis.* (*A.A.S.*, - 6 Maii 1961, vol. 53, pp. 253-255).

30 Decembris 1960 — *Urbis Const. Ap.* « *Consueverunt* » *Templum S. Sebastiani Martyris ad Catacumbas ad dignitatem tituli Presbyteralis Cardinalicii attollitur. Pro augendo Purpuratorum numero alii, ut patet, constituendi sunt tituli: porro, hoc eligitur templum*

quia in eo corpus adservatur Beati Martyris Sebastiani et sacrae Apostolorum Petri et Pauli exuviae olim requieverunt (A.A.S., - 6 Maii 1961, vol. 53, pp. 255-256).

30 Decembris 1960 — *Urbis Const. Ap. « Plurima quae » Templum SS.mi Redemptoris et S. Alfonsi in Exquiliis ad tituli Presbyteralis dignitatem evehitur. Iisdem manentibus ac supra causis, haec Ecclesiae, Sodalibus Congregationis SS.mi Redemptoris concredita, Purpuratorum honoribus ditatur. Frequens enim istic colitur imago B. Mariae Virginis a Perpetuo Succursu, propeque celebratur Academia Alfonsiana disciplinis morum tradendis. (A.A.S., - 6 Maii 1961, vol. 53, pp. 257-258).*

3 Ianuarii 1961 — *Indonesianae Const. Ap. « Quod Christus » In republica Indonesiana episcopalis Hierarchia constituitur. Per saecula instanter curavit Ecclesia ut sacri evangelii praecones, Apostolorum vestigia sectantes, veritatem Gentibus praedicarent, pateretque universis hominibus via salutis Hac sane ratione, errorum abiectis tenebris, vinculisque peccatorum resolutis, in extremis usque terris nomen Christi hodie celebratur. Quod cum in Indonesis, Deo adiuvante, feliciter evenerit, opportunum visum est ecclesiasticam hierarchiam ibi instaurari. Sex constituuntur provinciae, Diakartana, nempe, Semargensis, Medanensis, Pontianakensis, Endahena, Makassarensis: singulis autem, Sacrae Congregationi de Propaganda Fide obnoxiis, propriae attribuuntur suffraganeae ecclesiae. Praesules vero, Episcoporum residentium numero adscribuntur et suetis obligationibus tenentur. (A.A.S., - 6 Maii 1961. vol. 53, pp. 244-248).*

LITTERAE APOSTOLICAE:

31 Octobris 1959 — *Litt. Ap. « Michaël salutis signifer ». Sanctus Michaël Archangelus in praecipuum caelestem Patronum pro tota Brasiliana publicae disciplinae ac securitatis tuendae Militari Administratione eligitur. Concessio iam pridem facta, qua totius Italici publicae disciplinae ac securitatis tuendae Ordinis praecipuus apud Deum Patronus Sanctus Michaël Archangelus fuerat renuntiatus, Vicario Castrensi pro Brasilia expostulante, benigna mente extenditur. (A.A.S., - 29 Martii 1961, vol. 53, pp. 147-148).*

7 Aprilis 1960 — *Litt. Ap. « Salutiferae Crucis » Titulo ac privilegiis Basilicae Minoris ecclesia Sanctae Crucis de Valle Occasorum seu « Santa Cruz del Valle de los Caidos », apud Matritum, cohonestatur. Extat haud procul ab urbe Matrito, mons ingenti molitione effossus, in cuius visceribus amplissimum templum « Santa Cruz del Valle de los Caidos » ex proximo salutiferae Crucis signo*

appellatum christifidelibus patet, ubi peculiaria conficiuntur sacrificia pro militibus bello hispanico interemptis. Quod templum, monachis Sancti Benedicti e Congregatione Solesmensi concreditum, invisentium admirationem haud immerito movet: genere enim structurae celebratur, cultu ac rebus artificiosis. Preces igitur ab Abbate Coenobii Sanctae Crucis oblatas libenter audivit Romanus Pontifex. (*A.A.S.*, - 29 Martii 1961, vol. 53, pp. 148-149).

1 Iulii 1960 — *Litt. Ap. « Quemadmodum » Sanctus Patricius, Ep. et Conf. caelestis Patronus dioecesis Ibadanensis declaratur. Solent ecclesiae in Caelitis alicuius committi fidem ut praesidium sortiantur christifideles, ab instantibus malis eruantur, et ad virtutum ineundum certamen excitentur. Recentis ideo Ibadanensis ecclesiae Patronus renuntiatur S. Patricius qui in Hiberniam olim christianam religionem intulit.* (*A.A.S.*, - 29 Martii 1961, vol. 53, p. 150)

1 Iulii 1960 — *Litt. Ap. « Praecipuo pietatis » Beata Maria Virgo vulgo « Nossa Senhora de Ponte » appellata, in praecipuam Patronam dioecesis et episcopalis urbis Sorocabanae eligitur. Non tantum enim in episcopali ista urbe sed etiam in universa regione marialis cultus ita inhaesisse contigit ut Deiparam « De Ponte », cuius peculiaris imago in templo asservatur, christifideles suam expetant tutricem. Vota ad rem fecit Episcopus Sorocabanus admisitque Summus Pontifex.* (*A.A.S.*, - 29 Aprilis 1961, vol. 53, 213-214).

1 Iulii 1960 - *Litt. Ap. « Merito praedicatur » Titulus ac privilegia Basilicae Minoris ecclesiae Cathedrali Caesenatensi conferuntur. Templum istud, iam ab erectione architectandi genere, molis amplitudine et cultu plurimo laudatum, per temporum lapsum variis est auctum ornamentis, et Romanorum Pontificum memoria celebratur. Expetiti honores merito conceduntur.* (*A.A.S.*, - 28 Aprilis 1961, vol. 53, pp. 214-215).

1 Iulii 1960 — *Litt. Ap. « Ignem veni » Titul ac privilegiis Basilicae Minoris ecclesia SS.mo Cordi Iesu dicata in urbe Cracovia ditatur. Magno pietatis ardore in Sacratissimum Iesu Cor accenduntur Poloni christifideles, sive in patria commorentur, sive aliis in terris vitam degant. Porro Cracoviae templum eidem Cordi dicatum quinquaginta ante annos, stipe collecta, liberaliter excitaverunt, structurae genere et amplitudine clarum. Permagna exinde sortitus est incremenʿa Cultus SS.mi Cardis, de longinquo quoque in templum adventantibus peregrinis. Postulationes ad rem factae, benigne admissae sunt.* (*A.A.S.*, - 28 Aprilis 1961, vol. 53, pp. 215-216).

25 Iulii 1960 — *Litt. Ap. « Expedit sane » Sanctus Raphaël Archangelus in praecipuum Patronum et Sanctus Ioannes Maria Vianney, Conf.*.

in secundarium Patronum universae archidioecesis Dubuquensis eliguntur. Ut hanc Patronum electionem ratam Apostolica Sedes haberet, ipse Archiepiscopus postulavit eo quod cum catholica religio, per Dominicianum que sodalem huc induceretur, res Sancto Raphaëli iam dicata fuit, et praeterea primus Dubuquensis Episcopus Sancto Ioanne B. Vianney familiariter usus est. (A.A.S.. - 6 Maii 1961, vol. 53, pp. 258-259).

3 Septembris 1960 — *Litt. Ap. « Probatum studium » Caput S. Venerii ex urbe Regio Lepidi in urbem Spediam perpetuo transfertur. Inter utrumque Antistitem cum de re conveniret, petitio ad Apostolicam Sedem est oblata: de cetero Lunensis Patronus iam pridem S. Venerius fuerat renuntiatus, qui virtutibus sacrique ministerii exercitio loca illustravit et in insula Tyro maiore supremum diem obiit.* (A.A.S., - 6 Maii 1961, vol. 53, pp. 260-261).

28 Septembris 1960 — *Litt. Ap. « Salubri ducti » Sanctus Ioseph, Deiparae Sponsus, et Sanctus Michaël Archangelus Patroni aeque principales, Sancti vero Franciscus Assisiensis Ioannes M. Vianney et Isidorus Agricola secundarii Patroni universae diocesis Tolucensis declarantur. Ad hoc christiana plebs sibi adoptat Patronos ut eorum obtegatur praesidio, prolatisque exemplis mota, ad virtutum viam incendatur. Quam ob rem horum Caelitum probat Romanus Pontifex electionem ab Episcopo et populo Tolucensi factam, fiducia ductus fore ut e multiplici superno patrocinio copiosa munera in universam dioecesis proficiscantur.* (A.A.S., - 6 Maii 1961, vol. 53, pp. 261-262).

7 Octobris 1960 — *Litt. Ap. « Pietatis marialis » Basilicae Minoris honoribus ac privilegiis cumulatur paroecialis ecclesia B. Maria V. a Monte Carmelo, Patavii extans. Multis de causis conceduntur expostulati honores: in templo enim celebrantur et apsis pentagona, et tholus cellae impositus, et imagines artificiosa manu depictae, et porticus quadrilatera: peculiari praeterea excolitur studio locata ibi Carmelitidis Virginis imago et sacri administri ibi suo ministerio perfunguntur.* (A.A.S., - 6 Maii 1961, vol. 53, pp. 262-263).

7 Octobris 1960 — *Litt. Ap. « Religione » Basilicae Minoris titulo ac dignitate decoratur paroecialis Steinfoldiae ecclesia SS. Potentini, Felicii, et Simplicii, intra fines dioecesis Aquisgranensis. Tum populi fidelis, tum artis studiosorum non immerito movet admirationem haec coenobialis ecclesia quae, praeter alia Sanctorum ossa, sepulcrum S. Hermanni Ioseph obtinet ex Ordine Praemonstratensi. Varias perpessa per tempora vicissitudines, ecclesia quae nunc conspicitur generis structura et artificiosis operibus commendanda, saeculo decimo secundo est excitata, cui saeculo*

decimo sexto opus tectorium fuit adiectum (*A.A.S.*, - 6 Maii 1961, vol. 53, pp. 263-265).

EPISTULAE:

18 Februarii 1961 — *Ep. « Hibernorum Apostoli » Ad Emum P.D. Ioannem Tit. S. Agathae S.R.E. Presb. Cardinalem D'Alton, Archiepiscopum Armachanum, quinto et decimo exeunte saeculo a S. Patricii pio decessu. Evangelii praecones, alteri in parvula dominicae vineae portione, desudant, serunt et non colligunt; alteri vero, pauci quidem, integras, dum vivunt, convertunt nationes. Hos inter Patricius connumeretur oportet qui Hiberniam studuit evangelica irradiari luce magnamque comparavit Christo regionem. Labente autem tempore non tantum catholicam fidem maiores excoluerunt, sed ad eam propagandam haud exiguam contulerunt operam; monachi, praesertim, recensentur, et martyres: fructus denique usque ad haec nostra tempora manent* (*A.A.S.*, - 28 Aprilis 1961, vol. 53, pp. 217-220). —

8 Martii 1961 — *Ep. « Admodum gavisi » Ad Emum P. D. Emmanuelem Tit. SS. Marcellini et Petri S. R. E. Presb. Cardinalem Conçalves Cerejeira, Patriarcham Lisbonensem, quinquagesimum a suscepto sacerdotio annum implentem. Exantlati ab Amplissimo Viro in vinea Domini labores grate commemorantur, ac praesertim curae de seminariis susceptae, ecclesiasticae vocationes sollicite promotae, Actionis Catholicae consociationes instauratae, positum Christo Regi in urbe capite monumentum, et universa natio Immaculato Deiparae Cordi consecrata. Gratulationes ideo facit Summus Pontifex et omina promit.* (*A.A.S.*, - 28 Aprilis 1961, vol. 53, pp. 220-221).

ALLOCUTIONES:

12 Februarii 1961 — *Alloc. habita ad celebrandum tricesimum exactum annum ex quo Radiophonica Statio Vaticana radioëlectricas undas emittere coepit. Haud exigui solacii causa exurgit cum Vaticanae radioëlectricae Stationis recolitur instauratio: populorum enim licuit exinde foveri concordia, virtutumque professio: universali, praesertim, altero saeviente bello, voces prodierunt libertatem contutantes, et pacis adventum in Christi caritate adprecantes. Gratias Deo agit Summus Pontifex votaque de futuro addit: undae enim radioëlectricae veritatis lumen proferunt, caritatis ignem accendunt, scientiae illustrant munera.* (*A.A.S.*, - 29 Martii 1961, vol. 53, pp. 151-153).

13 Februarii 1961 — *Alloc. habita ad Urbis Curiones sacrosque temporis quadragesimalis concionatores: de sacrae orationis fontibus, de-*

que apta christifidelibus et accurata dicendi ratione. Quae in Romana Synodo statuuntur primo loco recenset et commendat ut sacer orator doctrinam suam continuo alat et temporibus adaequet adsiduo Sacrae Scripturae, Sanctorum Patrum, theologicorum tractatuum, Sacrae Liturgiae, Pontificiorum actorum studio: qua praedicationis forma uti debeat secundo loco edicit, eiusdem Synodi monitiones recolens exquisitiorem dicendi rationem et oratoria artificia vitanda monet: ex perspicuitate et simplicitate, ex evangelica soliditate et caritate persuadendi vim quaerat orator: tertio loco, tandem, de argumento Quadragesimali tempore pertractando eloquitur, de salutifero nempe Redemptionis opere (*A.A.S.*, - 29 Martii 1961, vol. 53, pp. 154-159).

19 Februarii 1961 — *Alloc. habita Sodalibus Societatis Sancti Pauli, Quadragesimo exeunte anno ab eadem constituta Societate et a piissimo Andreae Caroli S. R. E. Cardinalis Ferrari obitu. Desideratissimum Mediolanensem Praesulem recolentibus recte obveniunt notissima illa: « Ecce Sacerdos Magnus qui in diebus suis placuit Deo ». Prementibus enim simultatibus, et socialibus urgentibus quaestionibus, facere et docere numquam destitit. Defunctus adhuc loquitur, sed adstantes praecipue docet, qui tanti Viri hereditatem et tanti Pastoris hortamenta consequi meruerunt.* (*A.A.S.*, - 29 Martii 1961, vol. 53, pp. 159-163).

17 Martii 1961 — *Alloc. habita Hibernis Romae degentibus, post Sacrum peractum, cum a pio S. Patricii obitu quintum et decimum impleretur saeculum. Ad nova proposita, ad nova incoepta compellit Sancti Patricii memoria: habent quid discant Sacerdotes, habent sacri tirones, habent Sanctimoniales, habent quoque patres et matres familias: qui tamen Romae commorantur, romane sentientem Patricium exscolant, et catholicae fidei usque adhaereant* (*A.A.S.*, - 28 Aprilis 1961, vol. 53, pp. 221-225).

18 Martii 1961 — *Alloc. habita his qui interfuerunt coetui a Consociatione v. « International Business Machines » Romae congregato. Quae adstantes promovent, testantur commoda per technicum progressum allata, probantque materialia spiritus dominationi subici, iuxta illa: « subicite illam ». Quin igitur superbiam foveat, creaturarum humilitatem iste progressus conclamat et gratias Deo Omnipotenti agendas praedicat, Qui humanae substantiae dignitatem mirabiliter condidit et mirabilius reformavit* (*A.A.S.*, - 28 Aprilis 1961, vol. 53, pp. 225-227).

11 Aprilis 1961 — *Alloc. habita ad Excellentissimum Virum Amyntorem Fanfani Supremi Consilii publicae rei administrandae in Italia Praesidem. Centum cum sint revoluti anni ab Italicae Nationis proclamata unitate, in utraque Tiberis ora Deo redduntur gratiae*

ob beneficia hoc elapso tempore. accepta. Ita, caelesti Providentia disponente, ad Pacta Lateranensia deventum est quibus Christi pace Italiae restituta, ampliora utrimque possunt comparari. (*A.A.S.*, - 28 Aprilis 1961, vol. 53, pp. 227-228).

16 Aprilis 1961 — *Alloc. habita in Aede Sixtina, postquam Exc.mum P. D. Gabrielem Acacium Coussa, Sacrae Congregationis pro Ecclesia Orientali Adsessorem, Episcopum graeco ritu Summus Pontifex consecravit. Quaedam Romanus Pontifex consideranda proponit de sollemni peracta celebratione tot adstantibus eisdemque amplissimis Viris Orientalis et Occidentalis Ecclesiae; quaedam etiam de novo archiepiscopo, sodali Ordinis Basiliani Aleppini Melchitarum; quaedam, tandem, de Concilio Oecumenico, cuius congregatio omnes christifideles intentos iam tenet.* (*A.A.S.*, - 6 Maii 1961, vol. 53, pp. 265-268).

ACTA SS. CONGREGATIONUM

SACRA CONGREGATIO CONSISTORIALIS:

17 Octobris 1960 — *Sanctae Fidei in Argentina - Reconquistentis. Decretum de finium dioecesium immutatione* (*A.A.S.*, - 29 Martii 1961, vol. 53, pp. 164-165).

12 Decembris 1960 — *Rothomagensis - Ebroicensis. Decretum de mutatione finium dioecesium* (*A.A.S.*, - 29 Martii 1961, vol. 53. pp. 165-166).

19 Decembris 1960 — *Rapidopolitanae. Decretum translationis cathedrae episcopalis.* (*A.A.S.*, - 29 Martii 1961, vol 53, pp. 166-167).

31 Ianuarii 1961 — *Guadalajarensis - Colimensis. Decretum de finium dioecesium immutatione* (*A.A.S.*, - 6 Maii 1961, vol. 53, pp. 270-271).

6 Februarii 1961 — *Pampilonensis - Baionensis. Decretum de mutatione finium dioecesium* (*A.A.S.*, - 6 Maii 1961, vol. 53, pp. 271-272).

2 Martii 1961 — 31 Martii 1961 — *Provisio Ecclesiarum* (*A.A.S.*, - 6 Maii 1961, vol. 53, p. 269).

SACRA CONGREGATIO DE PROPOGANDA FIDE:

24 Novembris 1960 — *Saigonensis - Canthonensis - Vinhlongensis - Kontumensis - Nhatrangensis. Decretum de mutatione finium dioecesium* (*A.A.S.*, - 28 Aprilis 1961, vol. 53, pp. 229-230).

SACRA CONGREGATIO RITUUM:

11 Novembris 1959 — *Friburgensis. Decretum reassumptionis Causae pro canonizatione Beati Bernardi, Marchionis Badensis, Confessoris.* (*A.A.S.*, - 6 Maii 1961, vol. 53, pp. 280-281).

20 Iulii 1960 — *Limana. Decretum reassumptionis Causae pro canonizatione Beati Ioannis Massias seu Macias, Confessoris, laici professi Ordinis Praedicatorum* (*A.A.S.*, - 6 Maii 1961, vol. 53, pp. 272-273).

20 Iulii 1960 — *Monacensis. Decretum introductionis Causae pro beatificatione Servi Dei Ruperti Mayer, sacerdotis professi S. I.* (*A.A.S.*, - 6 Maii 1961, vol. 53, pp. 274-277).

9 Novembris 1960 — *Tarvisina. Decretum de « tuto » pro canonizatione Beatae Mariae Bertillae Boscardin, Virginis ex Instituto Sororum Magistrarum a S. Dorothea Filiarum Sacrorum Cordium.* (*A.A.S.*, - 6 Maii 1961, vol. 53, pp. 278-279).

14 Februarii 1961 — *Instructio de calendariis particularibus et Officiorum ac Missarum propriis ad normam et mentem codicis rubricarum revisendis.*

Caput I *Normae Generales*

Caput II *De festorum numero et extensione*

Caput III *De Festorum gradu*

Caput IV *De festorum die*

Caput V *De quibusdam festis particularibus in specie* (*De Patronorum festis; de festis quae communiter « devotionis » vocantur; de festis e calendario universali expunctis*)

Caput VI *De textibus et officiis*

Caput VII *De Officiis ac Missis disponendis; (normae generales pro Officiis; normae generales pro singulis Officiis; de Missis disponendis*)

Caput VIII *De privilegiis et indultis in Re Liturgica* (*A.A.S.*, - 29 Martii 1961, vol. 53, pp. 168-180).

A. S.

Direttore Responsabile Mons. FIORENZO ROMITA - Largo S. Rocco, 1 (Tel. 675.786)
Autorizzazione del Tribunale di Roma N° 1373 del 15 / 2 / 1950